DEFENSE
DE LA MONARCHIE
DE SICILE,
CONTRE LES ENTREPRISES
DE LA COUR
DE ROME.

SECONDE PARTIE

Contenant les Titres authentiques & les Pieces décisives pour justifier ce qui a été avancé dans la premiere Partie.



M. DCCXVI.

AVERTISSEMENT.

LEs pieces que l'on donne au Public pour juſtifier ce que l'on a avancé dans le Livre de la Défenſe de la Monarchie de Sicile, ſont déciſives. Elles ont déjà été publiées, mais ſi défigurées & pleines de tant de fautes, d'omiſſions, de noms changez, & d'erreurs typographiques à chaque ligne, que l'on a jugé à propos de les donner telles qu'elles

ſont dans les originaux auſquels on a eu recours pour en faire une édition exacte & fidelle.

DEFENSE

DEFENSE
DE LA MONARCHIE DE SICILE.

SECONDE PARTIE,

Contenant les Titres autentiques & les Pieces déciſives, pour juſtifier ce qui a été avancé dans la premiere Partie.

BULLE D'URBAIN. II.

Touchant l'établiſſement du Roi de Sicile pour Legat-né du ſaint Siege.

URBANUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, chariſſimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam ſupernæ Majeſtatis dignatio te multis triumphis & honoribus exaltavit, & probitas tua in Saraceno-

rum finibus Ecclesiam Dei plurimùm dilatavit, sanctæque Sedi Apostolicæ devotam se multis modis semper exhibuit; nos in specialem atque chariſſimum filium ejusdem universalis Ecclesiæ te assumpsimus. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimùm confidentes, sicut verbis promisimus, ita etiam litterarum authoritate firmamus, quòd omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra potestatis vestræ præter voluntatem, aut consilium vestrum, Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus: quin imo, quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam Legati vice exhiberi volumus: quando ad vos ex Latere nostro misimus ad salutem sanctarum Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate existunt ad honorem beati Petri, sanctæque ejus Apostolicæ Sedis cui devotè hactenus obedisti, quamque in necessitatibus suis strenuè & fideliter adjuvisti: si verò celebrabitur Concilium, & tibi mandavero, quatenùs Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas, quot & quos volueris mittas; alios verò ad servitium Ecclesiarum tuarum retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, & te à peccatis absolutum in vitam æternam perducat. Datum

Salerni per manus Joannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi, tertio Nonas Julii, Indictionis ſeptimæ, anno Pontificatûs noſtri undecimo.

GAUFREDUS MONACHUS, *l. 4. de acquiſitione regni Siciliæ, n. 29.*

Autcur contemporain, qui rapporte la Bulle d'Urbain II. & eſt témoin de la vérité de cette piece & de ce qu'elle contient.

PApa Urbem redditam, & pacem inter eos factam audiens, & gaudens de fraude compreſſa, & de pace confecta; ſed quia Ducem & Comitem Salernum ſeceſſiſſe audivit, nolens Comitem donec ſibi loquatur, versùs Siciliam remeare, illò tunc accelerat, venienſque cum Archiepiſcopis apud ſanctum Matthæum, ut cum debito honore eum acciperet, cum proceſſione præſtolatur, & tamen propter amicabilem venerationem quam versùs Comitem habebat, primùm ad ejus hoſpitium eum amabiliter viſum vadit, diuque ejus colloquio uſus ad proceſſionem quæ præſtolabatur ſuſcipiendus acceſſit, in craſtinumque convenientes, alter alterius colloquio cum maxima dilectione fruuntur; ſed quia ipſe Apoſtolicus jamdudum Robertum Epiſcopum Traïnenſem, Comite inconſulto, Legatum in Sicilia ad exequendum jus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ poſuerat, perpendens hoc Comitem grave

ferre, & nullo modo ut ſtabile permaneat aſſentire; cognoſcens etiam ipſum Comitem in omnibus negotiis eccleſiaſticis exequendis zelo divini ardoris exferveſcere, caſſato quod de Epiſcopo Traïnenſi fecerat, legationem beati Petri ſuper Comitem per totam Siciliam & ſui juris Calabriam habitam vel habendam hæreditaliter ponit, eâ diſcretione, ut dum ipſe Comes advixerit, vel aliquis hæredum ſuorum, zeli paterni eccleſiaſtici executor ſuperſtes fuerit, Legatus alius à Romana Sede, ipſis invitis ſuperponatur; ſed ſi qua Romanæ Eccleſiæ juris exequenda fuerint, Chartulis à Romana Sede in Siciliam vel Calabriam directis, per ipſos Concilio Epiſcoporum earúmdem Provinciarum authenticè definiantur; quod ſi Epiſcopi ad Concilium invitati fuerint, quot & quos ipſi Comiti, vel ſuis futuris hæredibus viſum fuerit, illuc dirigant, niſi fortè de aliquo ipſorum in Concilio agendum ſit in Sicilia vel Calabria in præſentia ſua authenticè definiri nequiverit, & ad hoc inconcuſſum perpetualiter permanendum, privilegio ſuæ authoritatis firmavit, cujus ſententiam ſubtitulamus. URBANUS EPISCOPUS, *ut ſuprà.*

Ex Fazello

de Rebus Siculis, posterioris Decadis, lib. 7. c. 1.

Relation de la Bulle par Fazellus.

Anno deinde sequenti, salutis 1096, Melpham Rogerio nepoti adolescenti, à quo desciverat, restituere studet, per Boëmundi Hierosolimitanam expeditionem militibus destitutus, ad Siciliam reversus est, atque Alamanno Ungarorum Regi aliam filiam uxorem tradidit. Eodem fermè tempore cùm à Jordano Rogerii Comitis ex sorore nepote, Capuæ, Neapolis, & Aversæ Principe, Capua rebellasset, ipse magno cum exercitu contra Capuam venit, eamque obsedit; verùm non diu post Capuani durâ nimis obsidione pressi, ipsius Rogerii Comitis consilio, se Jordano dediderunt: receptâ Capuâ, Rogerius Comes se contulit Salernum, ubi ei Adelasia uxor, ex quâ jam anteà Simonem filium susceperat, Rogerium natu minorem peperit; quò cùm & Urbanus Romanus Pontifex congratulatum veniisset, & Robertum Episcopum Troïnensem Legatum in Siciliâ, inconsulto Rogerio instituisset, Comite id ægrè ferente eumdem abrogavit, Rogeriumque, ac Simonem filium, & alios ejus hæredes Legatos in Siciliâ hoc privilegio, quo Siculi Reges Mo-

narchicâ Poteſtate utuntur, inſtituit. URBANUS, *ut ſuprà.*

Pour prouver que Roger étoit en poſſeſſion de la Legation en 1081, avant la Bulle d'Urbain.

PRIVILEGIUM CONCESSUM *à Rogerio, Eccleſiæ Meſſanenſi.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, notum ſit omnibus ſucceſſoribus meis, & univerſis quibus quando que præſens Privilegium manu oſtenſum fuerit; quòd ego Rogerius Comes Calabriæ & Siciliæ, poſt multas tribulationes & anguſtias atque pericula, quæ pro eripiendâ Inſulâ Siciliæ à tyrannicâ poteſtate Saracenicæ gentis, unà cum Chriſtianis fidelibus meis perpeſſus fueram: cùm eſſem in civitate Meſſanæ, unà cum conjuge mea Adelayde, & filiis meis Goffrido & Jordano, & cum multis Baronibus & fidelibus meis, venit ad me Robertus Meſſanenſium Epiſcopus, obſecrans, & petens ut darem illi terras ad operandum circa civitatem Troïnæ, quarum auxilio, tam ipſe quàm Clerici ſui, & ſervientes Eccleſiæ ſuſtentari poſſent. Ego verò quoniam in animo meo ſemper propoſueram, Eccleſiam Meſſanæ magnis poſſeſſionibus ampliare, multiſque donis & oblationibus ditare, eò quòd cùm poſt acquiſitionem Siciliæ tranſlatâ Sede Epiſcopali à Troïna in

Meſſanam, primum Epiſcopum erexeram, prædicti Epiſcopi Roberti precibus aures inclinavi; unde auditâ ejus petitione, pro ſalute animæ meæ & fratris mei nobiliſſimi Ducis Roberti Guiſcardi, à quo omnis honor & gloria mea proceſſit, & pro ſalute animæ conjugis meæ Adelaydæ, & filiorum meorum Goffridi & Jordani, & omnium meorum fidelium, dedi, & in perpetuum conceſſi Eccleſiæ ſancti Nicolai Epiſcopi, Meſſanæ Caſale Saracenorum, quod dicitur Butahi, cum omni tenimento & pertinentiis ſuis, ſecundùm antiquas diviſiones Saracenorum, ut ſit prædictum Caſale in poteſtate & ſubjectione ſanctæ matris Eccleſiæ beati Nicolai Epiſcopatûs Meſſanæ in perpetuum; ſit autem prædicto Epiſcopatui Meſſanæ Caſale ipſum Butahi liberum & abſolutum, & non liceat alicui eccleſiaſticæ vel ſeculari perſonæ futuris temporibus aliquid juris vel ſervitii in eo requirere, ſed ſit proprium ſanctæ matris Eccleſiæ ſancti Nicolai Epiſcopi Meſſanæ; & ſi contigerit in poſterum Caſale ipſum à Chriſtianis habitari, & Eccleſias in eo, vel in pertinentiis ſuis conſtrui, Eccleſiæ ipſæ ſub Epiſcopo Meſſanæ ſubjaceant, atque ab eodem Epiſcopo de Chriſmate, & aliis Eccleſiaſticis Miniſteriis provideantur.

Tempus autem quo præsens Privilegium factum fuit, si quis scire voluerit, noscat eum anno Incarnationis Dominicæ millesimo... scriptum & factum fuisse. Contra quod quicumque sive de parentibus meis, sive alienis, venire, & hanc donationem meam infringere tentaverit, excommunicetur à Patre, & Filio & Spiritu sancto, & faciem omnipotentis Domini nunquam videat, nec in regno ejus portionem habeat, sed cum Juda proditore Domini, æternis incendiis concremetur.

DIPLOMA

1091. Idem. ROGERII COMITIS,

Ex authographo Tabularii Ecclesiæ Catan. relatum à Roccho Pirro in Sicilià sacrâ, pag. 299. *Notitia Ecclesiæ Messanensis, & in Notitia Ecclesiæ Catanensis*, p. 10.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Summus Romanæ Sedis Pontifex, Urbanus videlicet II. verus Dei cultor, & universalis Pastor universalis Ecclesiæ; mihi Rogerio Calabriæ Comiti ac totius Siciliæ, ore suo sanctissimo & reverendo præcepit præcipiens,

utpote Pater ſpiritualis me filium ſuum, licèt in multis peccantem, ſanctiſſimè rogavit: quoniam ego filius ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ, ipſam eandem matrem meam, boni filii ſecutus legitimam conſuetudinem, pietatis manibus enutrirem, & dulciter proveherem, fines ſuos magnificè ampliarem, propagines & palmites vivos & ſpirituales in ea ſtudio vigili dilatarem. Cujus ergo ſanctis exequendis ego Rogerius Calabriæ Comes & Siciliæ, obſecundans imperatibus & catholicis inſtitutis, ſic Deo præeunte, in curribus ſuæ virtutis propugnatore, terra Siciliæ, terra Saracenorum, habitaculum nequitiæ & infidelitatis, ſepulchrum quoque noſtri generis & ſanguinis, ferro vindicandum, mihi temporibus diverſis ſubjecta fuit. Simili quoque modo in diverſis temporum permutationibus, ad honorem Dei, ad magnificandum & exaltandum nomen ſuum, & pro anima patris & matris meæ, & fratris mei Roberti Guiſcardi, pro mea quoque, & omnium parentum meorum, per diverſa Siciliæ loca idonea Eccleſias ædificavi juſſu ſummi Pontificis Apoſtolici, & Epiſcopos ibidem collocavi, ipſo eodemque Romanæ Sedis Apoſtolico & laudante, & concedente, & ipſos Epiſcopos conſecrante; unicuique autem

Eccleſiæ & Epiſcopo parochiam ſuam dedi & dicavi, ut unuſquiſque de ſuis ſufficiens beneficiis, alterius parochiam incruſtare non præſumeret; inter quas etiam jam diſpoſitas Eccleſias, poſtquam ſumma Dei virtus & ejus magnificentia totam mihi ſubjugavit Siciliam, aliam diſpoſui & ædificavi Eccleſiam, collaudante Apoſtolico Viro, & conſecrante ad titulum hujus Eccleſiæ in Catanenſium civitate exiſtentis quemdam ſanctæ D. Euphemiæ Priorem Catholicum & honeſtiſſimum in Abbatem & Epiſcopum, vocatum Anſgerium; cui, Urbano II. concedente, qui hunc ſacravit, dono Cataniam civitatem, ut ſedes ſit Abbatiæ & Epiſcopátus; de parochia verò Jachium cum omnibus pertinentiis ſuis; Paternionem cum omnibus pertinentiis ſuis; Aderno cum omnibus pertinentiis ſuis; ſanctam Anaſtaſiam cum omnibus ſuis pertinentiis; Centorbam F. cum omnibus ſuis pertinentiis; Caſtrum Joannis, cum omnibus ſuis pertinentiis, videlicet cum tota terra illa quæ pertinet ad Caſtrum Joannis uſque ad flumen falſum, quod currit inter Caſtrum Joannis & Agrigentinam civitatem, & uſque ad finem Traginenſis civitatis, & ex aliis partibus, ſicut dividitur à pertinentiis aliorum Caſtellorum

& Civitatum. Istud verò Privilegium factum est VI. Kal. Maii, Indict. XV. anno Dominicæ Incarnationis MXCI. Luna XV. Et ecce testes hujus Privilegii.

† Ego Comes Rogerius, feci signum hoc.

† Ego Adalasia Comitis uxor, signum hoc.

† Ego Josridus Comitis filius, hoc.

† Signum Jordanis filii Comitis.

† Signum Willelmii Altavilla.

† Signum Roberti Perrelli.

† Signum Josberti de Josciaco.

† Signum Bastardi.

† Signum Petri de Morretoim.

† Signum Rogerii Bonnello.

BULLA URBANI II.

Quâ confirmatur erectio Episcopatûs Siracusani à Rogerio facta, eique committitur ejus Jurisdictio.

Pour prouver que Roger avoit la disposition des Eglises de Sicile avant la Bulle d'Urbain II. 1093.

URbanus Episcopus, servus servorum Dei; dilecto fratri Rogerio, Siracusanæ Civitatis Episcopo, ejusque successoribus canonicè promovendis in Episcopatu; universis fere per orbem Christianorum populis, notum esse credimus, Siciliæ Insulam multis quondam

& nobilibus illuſtratam Eccleſiis, opibuſque & populo copioſam, multorumque religione effulſiſſe virorum, & quorumdam S. S. M. M. & Virginum claruiſſe martyrio: verùm, peccatis exigentibus, tanta ſpecies rerum, tantaque probitas morum ad nihilum ſubitò redacta eſt; effera etenim Saracenorum gens præfatam Inſulam ingreſſa, quoſcumque ibi chriſtianæ fidei cultores reperit, alios gladio peremit, quoſdam exilio deputavit, plures miſerabili ſervitute oppreſſit; ſicque Chriſtiana Religio per trecentos fere annos à Dei ſui cultura ceſſavit. Dominator autem rerum omnium Deus, cujus ſapientia & fortitudo, quando vult, & quomodo vult, regna transfert, & mutat tempora, quemdam ex Occidentis partibus militem, Rogerium ſcilicet, virum & conſilio optimum & bello ſtrenuiſſimum, ad eandem Inſulam tranſtulit, qui multo labore, frequentibus præliis, & crebris ſuorum militum cæde, & ſanguinis effuſione, regionem prædictam à ſervitute Gentilium, opitulante Domino liberavit. Siracuſanam itaque Eccleſiam noviſſimè reſtaurans, venerabilem filium noſtrum Rogerium Traginenſis Eccleſiæ Decanum, conſilio Epiſcoporum illius Provinciæ, Pontificem Siracuſanæ ele-

git Eccleſiæ, noſtriſque obtulit manibus conſecrandum. Illius igitur piæ devotionis affectum ſacerdotali ſtudio proſequentes, ejuſque juſtis petitionibus annuentes, Siracuſanam Eccleſiam, cui Deo autore, Rogeri frater in Chriſto venerabilis præſides, tibi tuiſque ſucceſſoribus regendam, diſponendam, & largiente Domino propagandam, præſentis Privilegii authoritate concedimus & confirmamus. Quæcumque igitur à prædicto filio noſtro Rogerio Comite eidem Eccleſiæ conceſſa ſunt, infra hos terminos adjacentia, à Caſtro videlicet Limpiados uſque ad flumen ſalſum ubi mare defluit; & ſicut oſtendit ſupra inter diviſiones Caſtri Joannis & Anaor, indeque tendens ad Mauraneum, aſcendit ad flumen de Calthaël-fay, & vadit inde ad Pontem Ferreum, tendens Huetachayu, quod vadit ad flumen de Paternione Hatenius, & ſicut hoc flumen currit viſam cadens iii mare; inde per maritimam uſque Siracuſam, & à Siracuſa uſque ad Caſtrum Limpiados, quod eſt ubi cepit hæc diviſio: infra quas diviſiones Siracuſa eſt cum omnibus pertinentiis ſuis, Lentina, Nota, Pantegra, Catha, Caſſibula, Bizinas, Eſſina, Cathaël-far, Leſpexa, Iſbarh, Modica, Scicla, Anaor, Raguſa, Butera cum

omnibus eorum pertinentiis, & alia Caſtella & Caſalia, quæ infra prædictos terminos ædificata ſunt, vel ædificabuntur: & quidquid deinceps eidem Eccleſiæ juſtè à quocumque conceſſum fuerit, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata manere, præſentis Decreti paginâ decernimus & ſancimus, ut ex iis omnibus Eccleſiis decimas & conſuetudines eccleſiaſticas perpetuò habeatis jura pontificalia. Statuimus ut nulli omnino hominum liceat prædictam Eccleſiam temere perturbare, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia ſicut ſuperiùs deſignata ſunt, immota perpetuò conſerventur & integra. Tu autem, frater in Chriſto cariſſime, commiſſum tibi officium debirâ ſollicitudine attende, cura in conſpectu Dei eſſe quod diceris; luceat lux tua coram hominibus, ut non credentes, tuis bonis exemplis & aſſiduis exhortationibus ad Dominum convertantur, & credentes Deum patrem qui in cœlis eſt, glorificent. Si quis verò Sacerdotum, Regum, Principum, Ducum, Comitum, Judicum, aut quorumlibet Secularium, hanc noſtræ confirmationis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonitus, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui

dignitate careat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Eccleſiæ jura ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiat, & apud diſtrictum Judicem æternæ pacis præmium inveniat. Amen, Amen, Amen. Datum Anagniæ per manum Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, Kal. Decembris, Indict. XV. anno Dominicæ Incarnationis 1093, Pontificatûs autem Domini P P. Urbani II, anno VI. In ſigillo: Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. S. Petrus, S. Paulus, Urbanus P P. II.

Erectio Episcopatus Mazarensis, *à Rogerio.*

IN nomine æterni & Salvatoris Jeſu Chriſti, Amen. Ego Rogerius Calabriæ & Siciliæ Comes, divino munitus præſidio, gladio ſupernæ gratiæ cinctus, galeâ & ſcuto bonæ & laudandæ intentionis adornatus; Siciliam petii, contra nefandam Saracenorum feritatem pugnaturus, quos ſeptiformi conciliante gratiâ, quos cooperante, quin imò Anno Domini 1093. Idem.

omnia efficiente divinâ misericordiâ, expugnavi, & expugnans eorum superbiam, injuriosam nostræ fidei & instantem audaciam minoravi, & (ut veriùs loquar) penitus ad nihilum redegi. Quis etenim visâ Castellorum & Civitatum earum amplâ & diffusâ ruinâ, & Palatiorum suorum studio mirabili compositorum ingenti destructione percognitâ, Saracenorum quorum usibus superfluis hæc deserviebant, incommoditates non attendat esse multiplices, miserias magnas, & detrimenta innumerabilia? Horum igitur potentiâ, horum contra Christicolas vehementi insaniâ potentialiter annihilata, & totâ Siciliâ mihi & meis imperatibus obediente per omnia: Ego Rogerius prædictus Comes, anno 1093 ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, Urbano II. Apostolicæ Sedis præsidente, Rogerio Duce Calabriæ Ducatum regente & Apuliæ, in acquisita Sicilia Episcopales Ecclesias ordinavi, quarum una est Mazarensis Ecclesia, cujus Episcopus vocatur Stephanus; cui in parochiam assigno quidquid infra fines subscriptos continetur; videlicet à loco in quo Belich fluvius mare ingreditur, usque ad Cavam desubtus Corleonem, quæ Cava durat usque ad petram de Zineth, & à Zineth tendit hæc parochia

uſque ad diviſionem Jatinæ & Cephalæ, videlicet uſque ad grandem Chriſtam, & à Chriſta tenditur uſque ad Saganam, & à Sagana uſque ad Carines, & à Carinis uſque ad diſtrictum arenoſum, ubi eſt diviſio Panormi & Carinæ; inde verò uſque ad mare, inter quos fines eſt Civitas Mazariæ cum omnibus ſuis pertinentiis, Marſala cum omnibus ſuis pertinentiis, Trabolis cum ſuis omnibus pertinentiis, Calathaamet cum omnibus ſuis pertinentiis, Calatub cum omnibus ſuis pertinentiis, Parthenich cum omnibus ſuis pertinentiis, Galmes cum omnibus ſuis pertinentiis, Carine cum omnibus ſuis pertinentiis, Jath cum omnibus ſuis pertinentiis, Calathaczaruth cum omnibus ſuis pertinentiis, Belich cum omnibus ſuis pertinentiis, & reliqua omnia quæ ſunt, vel quæ deinceps facta fuerint, ſeu Urbes, ſeu Caſtella, vel Caſalia, vel quæque ſint manſiunculæ, ſeu magnæ, ſeu modicæ, vel Monaſteria, vel Eccleſiæ, vel Capellæ cum omnibus decimis omnium quorumcumque fuerint, in proprietate STEPHANI Epiſcopi, & aliorum ſucceſſorum ſuorum poſt eum venientium Epiſcoporum, do & concedo Caſala Bizir cum villanis centum. Horum vero omnium ſi aliquis aliqua prædictæ Eccleſiæ & Epiſcopo

ſuo abſtulerit, vel injuſtè retinuerit, qualiſcumque perſona fuerit, anathemate damnetur. Ut hæc igitur noſtræ conceſſionis devotio in perpetuum robur obtineat firmitatis, præſens Privilegium eidem Epiſcopo & ſuæ Mazarenſi Eccleſiæ fieri feci, meâ Bullâ plumbeâ communitum. Datum in Civitate Mazariæ per manus Roberti de Urbe, Capellani & Cancellarii noſtri, anno Dominicæ Incarnationis 1093, menſe Octobri, primæ Indictionis.

Fundatio Monasterii Pactensis.

1094. Idem. IN nomine ſanctæ & individæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen. Ego Rogerius Calabriæ Comes & Siciliæ, frater Domini Roberti Guiſcardi glorioſiſſimi Ducis Apuliæ, anno ab Incarnatione Domini 1094, Indict. II. paſſus multas inopias & labores, & meo ſanguine fuſo, acquiſitâ totâ Siciliâ, Saracenorum termoſitate, & in Chriſtianos eorum tyrannide cum grandi detrimento Chriſtianorum, & parentum noſtrorum occiſione vehementi, funditus annihilatâ, armis divinæ potentiæ munitus, & brachio victorioſo fortitudinis roboratus, ſpiritali quoque gratiâ cooperante & præcedente, per totam

Siciliam pacem posui continuam, Ecclesias quoque ab impietate nefanda Saracenorum dirutas, ad honorem Dei & Domini nostri Jesu Christi, & genitricis Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, pro remedio animæ Roberti Guiscardi probissimi fratris mei, & glorioſi Ducis Apuliæ, in pristinum statum restitui, ditavi muneribus & ampliavi possessionibus, & speciosis decoravi ornamentis, liberas ab omni servitute constitui. Deinde verò mihi placuit ut ad honorem Dei & Domini nostri Jesu Christi, ac genitricis Virginis Mariæ, ex beneficiis meis ædificarem Monasterium Monachorum in Pactes in honorem sancti Salvatoris, cui Ecclesiæ & Domno Ambrosio ejusdem Monasterii primo Abbati, & omnibus ejus successoribus dono & habere concedo in proprium jus, quidquid infrà subscriptos continetur aut continebitur terminos, quorum videlicet terminorum principium est ad grandem Scalam de veteri civitate, sicut via scandit sursum ad Turonem altum qui est supra mare, & ascendit hæc divisio ad Cristam de Scala desuper civitatem, vadens Cristam sursum usque ad tres montes; inde verò transit ad profundam & obscuram Cavam, vadens ultrà ad turrem de Voah, & ascendit sursum ad altum montem de

Egito; inde verò ſurſum per Criptas & Brachali & ad fontem qui eſt in plano, tranſiens flumen de Pactes ultra ad Criſtam de ſancto Epinico; & vadit Criſta de ſancto Epinico uſque ad ſurſum ad montem de Fulchero; inde autem deſcendit Criſta grandiş ad viam de Arangeriis vadens ad flumen de Botania, ſicut flumen hoc vadit in mare. Teſte me dante & concedente, & conjuge meâ Adalayde Comitiſſâ, Joffrido infante filio meo. Epiſcopo Meſſanenſi in cujus eſt diœceſi, Roberto Borello, Rogerio de Tuſchet, Rogerio de Barnavilla. † Epiſcopi Traginenſis. † Comitiſſæ Adalaydis, † Goffridi infantis, & ego Anſgerius Epiſcopus Catanenſis feci hanc crucem.

DIPLOMA

Roberti Epiſcopi Maſſanenſis & Troïnenſis in gratiam Fratris Ambroſii, Monaſteriorum Liparenſis & Pactenſis Abbatis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Amen. Venerabilis & glorioſiſſimus Rogerius, Calabriæ Comes & Siciliæ, frater domini Roberti Guiſcardi, glorio-

fiſſimi Ducis Apuliæ, anno ab Incarnatione 1094. Indict. 2. domino Urbano II. Romanæ Sedis Pontificatum gerente, multas inopias & labores paſſus & multo ſanguine ſuo, totâ Siciliâ Saracenorum termoſitate, & in Chriſtianos eorum tyrannide cum grandi detrimento Chriſtianorum, & parentum ſuorum occiſione vehementi penitùs annihilatâ, armis divinæ potentiæ munitus, & brachio victorioſo fortitudinis roboratus, ſpirituali quoque gratiâ cooperante & præcedente, per totam Siciliam pacem poſuit continuam; Eccleſias quoque ab impietate nefanda Saracenorum dirutas, ad honorem Dei & Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & genitricis Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, pro remedio animæ ſuæ, & animæ Roberti Guiſcardi probiſſimi fratris ſui, & glorioſi Ducis Apuliæ, in priſtinum ſtatum reſtituit, ditavit muneribus, ampliavit poſſeſſionibus, & ſpecioſis decoravit ornamentis. Primùm verò Traginenſem Eccleſiam in qua dominum & venerabilem Robertum primum conſtituit Epiſcopum, deinde Agrigentinum & Mazarenſem, ſequenter autem Catanenſem, atque ultimùm quoque Syracuſanam conſtituit Eccleſiam & Epiſcopum; quibus pro tempore & oportunitate conſtitutis & diſpoſitis, placuit ite-

rùm venerabili præfato Comiti Rogerio, ut per Siciliam in territoriis Episcopalium Ecclesiarum libera constitueret Monasteria Monachorum pro Dei amore, & animæ suæ remedio & domini Roberti Guiscardi glorioſissimi Ducis Apuliæ, & pro animabus omnium parentum suorum in hac terra conquirenda occisorum. Inde primò quàm omnium Normannorum prior factus est Siciliæ Comes, & Calabriæ dominum Robertum Traginensis Ecclesiæ primum Episcopum interpellavit, & ab eo super hoc negotio consilium & laudationem quæsivit, uti videlicet liceret illi in Episcopatu suo in Pactes scilicet Monasterium de suis constitueret beneficiis. Ego itaque prædictus Robertus Messanensis Ecclesiæ primus Episcopus, & de hac re primùm à venerabili & glorioso Comite nostro Rogerio advocatus, laudavi spiritum ejus bonum, & glorioſam intentionem suam, & consilium in hac re contuli, & Ecclesiam de Pactes de consilio Comitis, & pro amore suo, & pro remedio animæ suæ, atque omnium parentum suorum; in primis verò pro amore Dei, & salvatione animæ meæ, liberam constituo donationem domino Ambrosio Abbati Liparensis Cœnobii, & ejus successoribus, decimas de Pactes, & alias Ecclesias, quas idem

Abbas tenet in diœceſi noſtra, cum decimis de earumdem Eccleſiarum territoriis; videlicet Eccleſiam ſanctæ Luciæ ſitam in campania Milatii, & Eccleſiam ſancti Nicolai in ſuburbio Giracii præter Naſum, in quibus decimas omnes retineo, & de proprietate ipſius Abbatis, & de redditione ipſius villæ, & præter decimam villanorum, quos villanos tum temporis Abbas tunc habebat in Geracio, vel habiturus eſt de reliquis; & ſi quis aliquando alicubi in Epiſcopatu meo prædictæ Abbatiæ pro amore Dei, & animæ ſuæ remedio, villanos dederit, quorum decimas & redditiones, quas priùs dare ſolebat, habebo; præter hoc daturus eſt mihi, meiſque ſucceſſoribus, prædictus Abbas, ejuſque ſucceſſores, unam unciam auri per ſingulos annos in Paſcha, vel ante quindecim dies, vel poſt totidem. Præ cæteris Abbas Eccleſias Pactas liberas habeat cum omnibus decimis ſuis. Ita tamen quod ſi Abbatia Liparenſis quandoque in Pactas Eccleſiam converſa fuerit, ego prædictus Epiſcopus, & mei ſucceſſores, Abbates omnes ejuſdem Abbatiæ Pactas conſecrabimus; ex hac autem hora Monachos ejuſdem Eccleſiæ, ſi conſecrandi erunt, conſecrabimus; oleum & chriſma à nobis accipient, & illorum Monaſterium, & Ec-

cleſiæ à nobis conſecrabuntur. Preſbyteri qui in partibus Pactas erunt, ad noſtram venient Synodum, quos inſtruemus, & à delictis corrigemus ſecundùm Dei juſtitiam, & nullum terrenum lucrum ab illis quærentes. Hæc tamen beneficia Abbati & ejus fratribus concedo, hoc pacto, ut neque Abbas, vel ſui ſucceſſores, aliquam capiant pecuniam ab ipſis Preſbyteris, aut à populo villæ, ſi peccaverint. Teſte eodem Comite Rogerio, & Gofrido infante filio ſuo, Comitiſſâ, Epiſcopo Cataniæ, Roberro Borello, Willelmo de Altavilla, Roberto de Muerbino, Ricardo de Moritorio, Rogerio Borello, Willelmo de Grois, Hugone de Alcione, Henrico fratre Comitiſſæ, Falcone Capellano & Medico ejuſdem Comitis Rogerii, qui hoc ſcripſit Privilegium in Meſſana civitate, in Quadrageſima, ſextâ die Martii. † Rogerius Decanus ejuſdem Eccleſiæ. Ego Odo Archidiaconus. † Urſus Canonicus, Willelmus de Sancto Ægidio.

CONCESSIO FACTA *à Comite Rogerio, Monaſterio Liparenſi, anno 1094.*

1094. Idem. ROgerius Comes Calabriæ & Siciliæ, adjutorium Chriſtianorum, 26. menſis Julii, XI. Indict. anno ab initio

tio mundi 6596. postquam cum filiis meis ex Francia veni in Militum, dedi Abbati Ambrosio pro Monasterio sancti Bartholomæi Liparensis, terragia infrà scripta pro salute animæ meæ, & remissione omnium peccatorum meorum, quæ terragia sunt prope faciem Castri Militi limitata cum finibus infrà scriptis; quæ terragia do tibi domno Ambrosio Abbati, ut habeas & in tua dominatione possideas, & quod nullus contradicere possit ullo modo: si quis verò vellet contradicere prædicto Privilegio nostro, & dictæ benevolæ donationi nostræ aliquo modo, maledictionem trecentorum decem & octo sanctorum Patrum anathema ... ab eis, & maledictionem Judæ Iscariotis habeat in æternum & in sæculum sæculi. 1082.

DIPLOMA ROGERII,

Datum anno 1096, pro institutione Ecclesiæ Messanensis.

SIgillum factum à me Rogerio magno Comite Calabriæ & Siciliæ, & datum ad te venerabilem Episcopum Messanæ, dominum Robertum. Insulâ Siciliæ, Dei providentiâ, totâ mihi subjectâ, proposui reædificare devastata tegmina Eccle- 1096. Idem.

ſiarum,& ad apparitionem reddere, ſicut fuerant priùs, quando chriſtianum genus illucebat & abundabat in eadem Inſula; hoc enim putavi juſtum & acceptabile, quatenus Deus colatur & glorificetur ſicut priùs. Hoc itaque ponens in mente mea, ad apparitionem rem extendens,& in futuro tempore rem poſſidere debentibus venerabilibus Epiſcopis proponens, quatenus ad confirmationem & doctrinam omnes homines ab ipſis attrahantur; propoſui in Tragina conſtruere Epiſcopatum in nomine S. Dei genitricis, ad memoriam noſtri & remiſſionem peccatorum meorum, quo facto, & Eccleſiâ jam conſtructâ, debentem in eâ præeſſe quærebamus multâ inquiſitione;& beneinquirentes invenimus te ſuperiùs. præmoratum Dñum Robertum, tanquam illucentem in Religione, & columnam exiſtentem lucis ad illuminationem animarum hominum, tradidimus tibi gubernationem ejuſdem Epiſcopatûs, ad gubernandum ipſum, & gregem deligere, & excitare ad bona paſcua. Hæc igitur omnia faciens, obtuli & conceſſi jam dictæ Catholicæ Eccleſiæ caſalia, ditia & agros, & altera alia. Termini autem harum terrarum cognoſcuntur ſic; incipit à valle Agrillâ ex parte aliarum, & vadit per maritimam uſque ad Tauromenium,

& reſpondet ad Meſſanam, & vadit uſque ad Melatium, & reſpondet ad Demennam, & inde vadit per maritimam uſque ad flumen Tortum, & aſcendit per flumen uſque ad caput ejuſdem, unde ipſum flumen exit, & revertitur ad magnam Viam Francigenam Caſtri-novi, & vadit ex illa parte ad montem ſancti Petri, & vadit ad tres Pererios, & deſcendit ad flumen ſalſum de Nicoſi, & reſpondet ad Centurubium, & unitur ad flumen Plymitron, & aſcendit ad flumen Plimidri uſque ad vadum Sarcodi, & tranſit per prædictum vadum, & aſcendit ad ſanctum Petrum, & reſpondet ad partes Æthnæ, & deſcendit ſuper Caſtanetum, & clauditur in valle Agrilla, unde initium factum eſt; & ſic noſcuntur prædictæ diviſæ. Infra has diviſas dedi tibi in Tragina Milgin cum terminis ſuis, & homines decem in Tragina; dedi quoque apud Demennam Caſtellum Alcariæ cum tenimentis ſuis: dedi etiam tibi in Oliverio Saracenos centum, & terras, & tenimenta quæ ibi habitantes priùs tenebant: ampliùs conceſſi tibi, ſicut juſtum eſt, ut quotcumque comprehendunt diviſæ infra ſe Sacerdotes meos, ſcilicet & meorum Baronum eſſe ipſos in Epiſcopatu oblatos ſemper, & quotcumque

habuerint filios, & quot ex tunc uſque nunc nati ſunt, & naſci debent, eſſe & ipſos ſervientes in eodem Epiſcopatu, & orare pro omni chriſtiano genere, & pro me peccatore. Monaſteria quoque omnia habebis ſub poteſtate, pertinentia eidem Eccleſiæ, & providere & inſtruere ea, & prævaricantem fortè Monachum divinis Canonibus ſupponere, & corrigere juxta debitam inſtitutionem Monachorum : & non liceat ad venientem Epiſcopum auferre aliquam mobilem vel ſtabilem rem ab his Monaſteriis, ſecundùm conſilium quod tecum habuimus, juxta mandatum ſanctiſſimi Papæ veteris Romæ, & in conſilio & facto ſimul placuit convenire. Nuper verò juxta conſilium Apoſtolici Papæ, ædificavi Eccleſiam in nomine ſancti Patris Nicolai in Civitate Meſſana, & in Epiſcopatum conſtitui, ſicut antiqua traditio declarabat eſſe ; ſcilicet eandem Eccleſiam catholicam ejuſdem Civitatis, & ipſam pulcherrimè, ſicut ſe habet, ædificans & decorans, tradidi tibi prædicto Epiſcopo, cum decenti ſervitio poſſeſſionum ipſius, & ipſam dirigere & gubernare tanquam & primam, ſcilicet Traginenſem ; habere quoque in poteſtate infra terminos exiſtentes omnes Eccleſias, & bene diſponere ipſarum res.

Quicumque itaque auſus fuerit contra hoc agere, ſive filius meus, ſive nepos, ſive de meo deſcendens genere, ſive alienus, habeat anathema à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto: ſimiliter quicumque voluerit tranſmutare ſic factam à me in hac Eccleſia emendationem. Ad ampliorem itaque fidem, & ſecuram confirmationem advenientium, conſuetâ Bullâ plumbeâ hoc ſcriptum ſigillavimus, tertiâ Aprilis, Indict. IV. anni 6604. Joannes Protonotarius, & homo altiſſimi Comitis, ſcripſi. Rogerius Comes Calabriæ & Siciliæ totius.

FUNDATIO ECCLESIÆ AGRIGENTINÆ. 1093.

EGo Rogerius Calabriæ Comes & Siciliæ, divino munitus præſidio, ſupernæ gratiæ gladio cinctus, galea & ſcuto bonæ & laudabilis intentionis adornatus, Siciliam petii contra nefandam Saracenorum feritatem pugnaturus, quos ſeptiformi Dei conciliante gratiâ & cooperante, imò efficiente omnia divinâ miſericordiâ, expugnavi, & expugnans illorum ſuperbiam, & virorum contra noſtram fidem inſtantem audaciam minoravi, & (ut veriùs loquar) ad nihilum redegi; quis enim viſâ Caſtellorum & Civitatum eorum amplâ & diffuſâ ruinâ, Pala-

tiorum ſuorum ſtudio mirabili compoſitorum ingenti deſtructione percognitâ; Saracenorum quorum uſibus ſuperfluis hæc deſerviebant, incommoditates non attendat eſſe multiplices, miſerias magnas, & detrimenta innumerabilia? Horum igitur contra Chriſticolas vehementi inſaniâ & potentiâ annihilatâ, & totâ Siciliâ mihi & meis imperatibus obediente per omnia: Ego Rogerius prædictus Comes, anno 1093 ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, Urbano II. Apoſtolicæ Sedis præſidente, Rogerio Duce Calabriæ & Ducatûs Apuliæ regnante, in conquiſtu Siciliæ Epiſcopales Eccleſias ordinavi; quarum una eſt Agrigentina Eccleſia, cujus Epiſcopus vocatur Gerlandus, cui in parochiam aſſigno quidquid infra fines ſubſcriptos continetur, cum omnibus juribus decimarum, & aliorum jurium parochialium, tam Civitatis Agrigentinæ quàm Diœceſis; videlicet à loco ubi oritur flumen ſubtus Corilionem, uſque deſuper petram de Zineth, & inde tenditur per diviſiones Latinæ & Cephalæ, & deinde ad diviſiones Biccari; inde verò uſque ad flumen ſalſum, quod eſt diviſio Panormi & Thermarum, & ab ore ejus fluminis, ubi cadit in mare, protenditur hæc parochia juxta mare uſque ad flumen

Tortum ; & ab hoc ab inde unde oritur, tenditur ad Pyra ſubtus Petram Eliæ, atque inde ad altum montem qui eſt ſupra Pyra; inde autem ad flumen ſalſum, ubi jungitur cum flumine Petræ Eliæ, & ex hoc flumine, ſicut ipſum; deſcendit ad Lympiadum, qui locus dividit Agrigentum & Butheriam ; atque inde per maritimam uſque ad flumen de Bilichi, quod eſt diviſio Mazariæ, & adhuc tenditur, ſicut hoc flumen currit, uſque ſubtus Corilionem, ubi incipit diviſio, exceptis Biccaro, Corilione & Thermis: in proprietate autem Domini Gerlandi Epiſcopi, & aliorum poſt eum Epiſcoporum, eſt Caſale Cathal cum centum Villanis, in quo frumenta concedo ſibi ſingulis ſeptimanis. Horum verò omnium ſi aliquis aliqua prædictæ Eccleſiæ & Epiſcopo ſuo abſtulerit, vel injuſtè detinuerit, qualiſcumque perſona fuerit, anathemate damnetur. In Sigillo : *Jeſus Chriſtus vincit.* Deus adjuvet ſervum ſuum Rogerium.

BULLA URBANI II.

Ad Gerlandum Agrigentinum Epiſcopum, quâ præcedens Diploma fundationis Eccleſiæ Agrigentinæ approbatur.

1099. Preuve de l'execution de la Legation.

URbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei; dilecto fratri Gerlando Agrigentino Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè promovendis, in perpetuum. Omnipotentis Dei diſpoſitione mutantur tempora, transferuntur regna; hinc eſt quod magni nominis nationes dirutas & depreſſas, viles verò atque exiguas nonnumquam legimus exaltatas; hinc eſt quod in quibuſdam regionibus chriſtiani nominis poteſtatem Paganorum feritas occupavit; in quibuſdam iterum Paganorum tyrannidem chriſtianæ potentiæ dignitas conculcavit, ſicut noſtris temporibus glorioſiſſimorum Principum Roberti Ducis & Rogerii Comitis fortitudine ſupernæ dignationis miſeratio omnem Saracenorum moleſtiam in Sicilia Inſula expugnavit, & antiquum Eccleſiæ ſanctæ ſtatum, pro voluntatis ſuæ beneplacito recuperavit; unde & ipſius ineffabili miſericordiæ gra-

tias agimus, & ipsius gratiam super illos egregios fratres, alterum jam defunctum, alterum ipso patrante superstitem imploramus, & ad Ecclesiarum quæ in eadem Insula sunt, restitutionem seu ordinationem, pro nostri officii debito anhelamus. Sicut igitur, annuente Deo, cæterarum jam parochias disposuimus, ita & Agrigentinæ Diœcesis præsentis Decreti authoritate disponimus. Statuimus enim, carissime frater Gerlande, quem omnipotens Dominus in ipsa Ecclesia nostra tanquam B. Petri manibus consecrare dignatus est, ut tibi deinceps, tuisque legitimis successoribus, episcopali jure regendum ac disponendum perpetuò maneat quidquid infra fines subscriptos continetur, videlicet à loco ubi oritur, &c. *Sequuntur verba relata in Privilegio Rogerii jam. allato, usque ad* Thermas. *Sequitur.* In proprietate autem tam tui quàm successorum tuorum, jure Casale, Cathal cum centum Villanis, sicut à supradicto filio nostro Comite Rogerio traditum est, conserventur: præterea, quæcumque in posterum liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, eadem Agrigentina Ecclesia justè atque canonicè poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut

Robertum Ducem. Rogerium Comitem.

nulli omnino hominum liceat eandem Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integrè conſerventur tam tuis, quàm Canonicorum & Clericorum omnium ac pauperum uſibus profutura. Si quæ autem eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſcienter contra eam venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus, ſit pax Dñi noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & in loco Judicii præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Barii per manus Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, VI. Id. Octobris, Indict. VIII. ab Incarnatione Domini 1099. Pontific. Urbani II. Papæ XI. *In Sigillo* S. Petrus, S. Paulus, S. Urbanus Papa II.

BULLA PASCHALIS II. P P. 1100.

Ex authographo in Eccleſia Mazarenſi excerpta.

PAſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri Stephano Mazarenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè promovendis in perpetuum. Omnipotentis Dei nutu mutantur tempora, transferuntur regna; hinc eſt quod magni quondã nominis nationes dejectas & depreſſas, viles verò atque exiguas non numquam legimus exaltatas; hinc eſt quod in quibuſdam regionibus chriſtiani nominis poteſtas Paganorum terras occupavit; in quibuſdam iterum Paganorum tyrannidem chriſtianæ potentiæ dignitas conculcavit; ſicut noſtris temporibus gloriſiſſimorum Principum Roberti Ducis & Rogerii Comitis fortitudine ſupernæ dignationis miſeratio omnem Saracenorum violentiam in Sicilia Inſula expugnavit, & antiquum Eccleſiæ ſanctæ ſtatum pro voluntatis ſuæ beneplacito reparavit; unde & ipſius ineffabili miſericordiæ gratias agimus, & ipſius gratias ſuper illos egregios fratres, alterum jam defunctum, alterum ipſo præſente ſu-

Confirmation par Paſcal II. du droit de Roger ſur les Egliſes de Sicile.

perſtitem imploramus, & ad Eccleſiarum quæ in eadem Inſula ſunt, ordinationem ſeu confirmationem pro noſtri officii debito anhelamus. Sicut igitur annuente Deo, & Mazarienſis, & cæterarum parochiæ per Apoſtolicum bonæ memoriæ Urbanum prædeceſſorem noſtrum diſpoſitæ ſunt, ita & nos Mazarienſis, cui authore Deo præſides, Eccleſiæ diœceſim præſentis Decreti authoritate firmamus: ſtatuimus enim, honorande frater & Coepiſcope Stephane, ut tibi deinceps tuiſq; ſucceſſoribus epiſcopali jure regenduma c diſponendum perpetuò maneat quidquid intra fines ſubſcriptos continetur; videlicet à loco in quo Belich flumen mare ingreditur, uſque ad Cavam deſuptùs Corleonem, quæ Cava durat uſque ad Petram de Zineth, & à Zineth tenditur hæc parochia uſque ad diviſionem Jatinæ & Cephalæ, videlicet uſque ad grandem Criſtam, è Criſta tenditur uſque ad Saganam, à Sagana uſque ad Carinas, à Carinis uſque ad diſtrictum arenoſum, ubi eſt diviſio Panormi & Carinæ; inde verò uſque ad mare, intra quos fines eſt Mazaria cum omnibus ſuis pertinentiis, Marſalia cum ſuis, Trabolis cum ſuis, Calathameth cum ſuis, Calathabùbi cum ſuis, Parthenith cum ſuis, Cinos cum ſuis, Carinæ cum ſuis, Jath cum ſuis, Cala-

thaczarûch cum ſuis, Belich cum ſuis omnibus pertinentiis, & reliqua omnia quæ ſunt, vel deinceps facta fuerint Caſtella, ſeu Caſalia, ſive Urbes; in proprio autem tam tuo quàm ſucceſſorum tuorum jure Caſale Buxei cum centum Villanis, ſicut à ſupradicto filio noſtro Comite Rogerio traditum eſt, conſervetur. Præterea quæcumque in poſterum liberalitate Principum, vel oblatione fidelium eadem Mazarienſis Eccleſia juſtè atque canonicè poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut ulli omnino hominum liceat eandem Eccleſiam temerè perturbare, vel ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur tam tuis quàm Clericorum & pauperum uſibus omnimodis profutura. Si qua igitur in poſterum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque divino Judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, atque à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu

Chriſti aliena ſit, & in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & ii fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Ego Paſchalis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus SS. Ego Albericus Cardinalis Preſbit. tit. ſancti Petri ad vincula SS. Ego Odo Oſtienſis Epiſcopus huic Privilegio SS. Ego Milo Præneſtinus Epiſcopus SS. Ego Joannes Tuſculanus Epiſcopus SS. Ego Albertus Sipontinus Archiepiſcopus SS. Ego Robertus Cardinalis Preſbit. de tit. ſancti Euſebii SS. Ego Robertus Meſſanenſis Epiſcopus SS. Ego Rogerius Syracuſanus Epiſcopus SS. *In Sigillo* Verbo Domini Cœli firmati ſunt. S. Petrus; S. Paulus, Paſchalis II. PP. Datum Melphiæ per manum Joannis S. R.E. Diaconi Cardinalis, Idib. Octobris, Indict. VIII. Incarnat. Dominicæ anno 1100. Pontificatûs autem Domni Paſchalis PP. II. anno 2.

BULLA ANACLETI PAPÆ, 1130.

Quâ Rogerio dignitatem regiam confirmat.

ECcleſiam prædeceſſorum noſtrorum Urbani & Paſchalis, venerandæ memoriæ Romanorum Pontificum, & innumeris ſervivit obſequiis, felicis etiam recordationis mater tua, viri ſui nobiliter veſtigia ſubſequens, pro datis ſibi à Domino facultatibus eandem Dei Eccleſiam largâ liberalitatis manu officioſiſſimè honorare, & ſuſtentare curavit : tu quoque cujus divinâ providentiâ inter reliquos Italiæ Principes amplior ſapientiæ & poteſtatis prærogativa exceſſit ; quia prædeceſſores noſtros magnificentiùs honorare, & abundantiùs deſervire ſtuduiſti, perſonam tuam & hæredum tuorum perpetuis gratiæ & honoris titulis adornare & exaltare decrevimus. Concedimus igitur, & donamus, & authoriſamus tibi & filio tuo Rogerio, & aliis filiis tuis ſecundùm tuam ordinationem in regnum ſubſtituendis, & hæredibus ſuis, coronam regni Siciliæ, & Calabriæ, & Apuliæ, & univerſæ terræ quarum tam nos quàm prædeceſſores

Confirmation de ce même droit par la Bulle d'Anaclet rapportée par Baronius à l'année 1130. num. 52

noſtri, prædeceſſoribus tuis Ducibus Apuliæ, nominatis Roberto Guiſcardo, Roberto ejus filio, dedimus & conceſſimus, & ipſum regnum habendum, & univerſam regiam dignitatem, & jura regalia, jure perpetuo habendum in perpetuum, & dominandum, & Siciliam caput regni conſtituimus. Porrò authoriſamus & concedimus ut per manus Archiepiſcoporum terræ tuæ quos volueris juxta tuam voluntatem, aſſiſtentibus aliis Epiſcopis quos volueris, tu & tui hæredes in Reges inungamini, & in ſtatutis temporibus coronemini. Item, omnes conceſſiones, donationes, & conſenſus quos prædeceſſores noſtri prædeceſſoribus tuis Roberto Guiſcardo, Roberto, filio ejus Guillelmo, Ducibus Apuliæ, & tibi conceſſerunt, donaverunt & conſenſerunt, donamus, concedimus & conſentimus tibi & filiis tuis, & hæredibus tuis, habendum & poſſidendum in perpetuum: donamus etiam & authoriſamus tibi & tuis hæredibus Principatum Capuanum cum omnibus tenimentis ſuis, quemadmodum Principes Capuanorum tam in præſenti quàm in præterito tenuerunt; honorem quoque Neapolis ejuſque pertinentiarum, & auxilium hominum Beneventi contra hoſtes tuos largimur & confir-

mamus. Tuis porrectis petitionibus annuentes, concedimus Panormitano Archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, & Panormitanæ Eccleſiæ conſecrationem trium Epiſcoporum Siciliæ, videlicet Syracuſani, Agrigentini, & Mazarienſis vel Catanenſis, eâ ratione ne ſupradictæ Eccleſiæ in Diœceſibus vel poſſeſſionibus ſuis, à Panormitano Archiepiſcopo, vel ab ipſa Panormitana Eccleſia diminutionem aliquam patiantur. De reliquis verò duobus, pleniori noſtro conſilio reſervamus. Hæc omnia ſuprà dicta has noſtras conceſſiones ſic conceſſimus, tradimus, & authoriſamus tibi & tuis filiis habenda & poſſidenda jure perpetuo, dum nobis noſtriſque ſucceſſoribus homagium & fidelitatem competenti nobis & vobis ſecuroque loco facies vel facient, juraveris vel juraverint: Si in nobis vel noſtris ſucceſſoribus non remanſerit, non ideo honoris ſeu dignitatis vel terræ ſuæ patiantur diminutionem; tu autem cenſum .... & hæredes tui videlicet & ſexcentos Schifatos, quos annis ſingulis Romanæ Eccleſiæ perſolvere debes, ſi requiſitus fueris; quod ſi requiſitus non fueris, facta requiſitione perſolvas, nullâ de non ſolutis habitâ ratione .... Si qua ſanè in poſterum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona huic no-

ſtræ conceſſioni vel donationi obviare tentaverit, niſi ſatisfactione congruâ reſipuerit, anathematis gladio feriatur: omnibus verò has noſtras conditiones, conceſſiones & conſenſus ſervantibus, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen. Ego Anacletus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus. Ego Matthæus Preſbiter Eudoxiæ. Signum manus Petri Leonis Romanorum Conſulis, & ſignum manus Rogerii fratris ejus, & ſignum manus Petri Guiccionis filii, & ſignum manus Cenſii... Guydonis, & ſignum manus Petri Leonis de Fundis, & ſignum manus Abucii, & ſignum manus Joannis Abdiricii, & ſignum manus Milonis. Datum Beneventi per manum Saxonis S. R. E. Preſbiteri Cardinalis, V. Kal. Octobris, Indict. IX, anno Dominicæ Incarnationis 1130. Pontificatûs D. Anacleti II, Papæ, anno primo.

1129.

DIPLOMA ROGERII SICILIÆ REGIS.

Preuve de la poſſeſſion des droits de Roger Roi de Sicile, ſur les Egliſes de Sicile

ROgerius in Chriſto Deo pius & fortis Rex, & Chriſtianorum adjutor; quia ea quæ ſunt præſentis vitæ corruptibilia & mortalia exiſtunt, & inſtar capillorum ex aliis in alios mutantur,

mirabilem quandam harum rerum Religionis amatores mutationem dexterâ Altissimi dignam juxta Psalmum cogitaverunt; & ut permanerent firma & æterna, omne studium adhibentes, alium tramitem non invenerunt, nisi erigere divina Templa, & dedicare illis eorum possessiones, & reddere Deo; etenim fit quod per incessabiles hymnos & laudes quæ fiunt in ipsis, Deus sine intermissione colitur & glorificatur, & ipsi consequuntur memoriam beatitudinis æternæ & assiduæ orationis. Hujusmodi enim exemplum veluti regulam primitivam quandam tranquillitas nostra secuta, divinum & sacrum fundamentum erexit, atque Templum ædificavit in promontorio portûs Messanæ Insulæ Siculorum, ad gloriam & laudem magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, à quo & coronam accepimus; & immaculatæ Matris eius sanctæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ, & Confessoris Patris sancti Nicolai, hoc venerabile Templum in magnitudinem & decorem divinæ providentiæ gratiâ, consensu Hugonis venerabilis Episcopi & Canonicorum Messanensium, Mandramque hoc nuncupantes & facientes, videlicet matrem Monasteriorum quæ sub eâ existant, & Archimandritam in eo constituentes, scili-

cet Patrem & Prælatum Abbatum qui ſub eo exiſtunt, decernimuſque pro epiſcopali jure ſolvere eandem Mandram dictæ Eccleſiæ Epiſcopali annuum cenſum, centum libras ceræ, viginti thuris, viginti caphiſos olei, & viginti nummos ſive ſolidos pro omni epiſcopali jure; ſecundùm factam inter nos & dictum Epiſcopum cum ſuis Canonicis concordiam, ut dictum eſt, quam accepimus & cuſtodimus in poteſtate & mandato noſtro & hæredum & ſucceſſorum noſtrorum; eum qui eligi debet Abbas, in ipſa Salvatoris Mandra eligi debet à Monachis qui ſunt in ea, videlicet à toto Conventu, ſecundùm divinos & ſacros Canones, & confirmari debet à noſtrâ Majeſtate, vel hæredum & ſucceſſorum noſtrorum, & benedici de juſſu noſtro. Volumus præterea idem noſtrum Monaſterium eſſe liberum & exemptum ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & ſimiliter ab omni perſona eccleſiaſtica & ſæculari. Ejus Prælatus & ſui ſucceſſores, ſi fortè acciderit dubitatio alicui ex aliquo, volumus quod non reſpondeant niſi coram nobis & hæredibus & ſucceſſoribus noſtris; liceat autem eidem Prælato & ejus ſucceſſoribus, ſi aliquando opus eſſet ei, Clerici natione ejuſdem etiam in quocumque Monaſterio vel loco noſtri regni

eperti fuerint, tales ducere ad ſe ſine illa prohibitione & abſque alio impedimento penitus ab aliquo; eos verò qui fugiunt mundum, & ad eandem divinam Mandram accedentes, ex quavis fortuna & conditione exiſtant, de cætero ab aliquo non moleſtari jubemus: volumus præterea Monachos ejuſdem Mandræ habere Griphum liberum, & propter reliqua eorum ſervitia maris, & in ipſorum reſervatione divinitus conſervata, Claſſis noſtræ habere Marinarios liberos quadraginta, qui nullo pacto impediantur ab aliquo noſtrorum ſervitorum, vel ab aliquo reliquorum Miniſtrorum ejuſdem Scholæ. Largimur inſuper eidem noſtro Monaſterio agrum noſtrum Meſſanenſem cum terris, præeminentiis & datium Marinariorum qui cum eo habitant. Hunc autem agrum largimur, ſicut diximus, eidem Monaſterio, ſicut eſt determinatus; incipit autem à Scala ſanctæ Margaritæ, & aſcendit ad Criſtam ipſam uſque ad Muſtata, & inde ferit in tres Monticellos, inde itur ad Richeſam parvam, & inde per montem montis uſque ad ſanctum Philippum de Margi, & inde per montem uſque ad Calmoltum, & inde per Criſtam uſque ad Populetum, & inde ex Criſta & via vineæ Atromtarum, & fer-

tur ad Chincaſim, uſque ad alium montem qui dicitur Malus mons, ſicut aſcenditur ad ſparſiones aquarum, & inde per Criſtam uſque ad Hederas, & aſcenditur uſque ad magnum montem, & inde deſcenditur à Gabalo è Carlis, inde deſcenditur per Criſtam uſque ad mare. Præterea in ipſis agri montibus volumus quod Monachi incraſſent porcos impinguatos liberè, ita quod nullus de noſtris poteſtatibus vel bajulis propter hoc exigat aliquid ab eis. Inſuper largimur eidem noſtro Monaſterio obedientiam ſanctiNicandri de Nicone cum tenimento ſuo, ſecundùm quod continetur & terminatur in præſenti Privilegio beatiſſimi patris noſtri Comitis Rogerii, labente anno ſexmilleſimo ſexcenteſimo ſecundo; & hæc omnia approbamus & confirmamus eidem Monaſterio, ut ſint immutata uſque ad finem ſæculorum. Non liceat autem in Prælatis vel Monachis ejuſdem divini Monaſterii pro tempore exiſtentibus, & de odedientiis ipſius, vel reliquis poſſeſſionibus, concedere alicui perſonæ eccleſiaſticæ vel laïcali, quoviſmodo omnino ad poſſidendum, niſi fortè ad augmentum, meliorationem rei pro Monachis nutritis in ea Mandra. Nos igitur, ut ſuperiùs dictum eſt, approbantes & confirmantes eidem Monaſte-

rio Salvatoris eadem, qui præſumpſerit contra hoc ſuperbire, volumus noſtram atque hæredum & ſucceſſorum noſtrorum indignationem incurrere: ad confirmationem autem, & firmitatis robur, ejuſdem divinæ & ſanctæ Mandræ præſens Privilegium ſcriptum, & ſolitâ noſtrâ Bullâ plumbeâ ſigillatum, de mandato noſtro exhibitum menſe Maii anno ſexmilleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo, Indictione octava. *Subditur:* Extracta eſt ex copia Proviſionis conſervatæ penes me Notarium Curiæ Archiepiſcopalis nobilis Civitatis Meſſanæ.

EXTRACTUM EX HISTORIA *Alexandri Celeſini Cœnobii Abbatis, de rebus geſtis Regum Siciliæ*, libro 2.

CUm Dux Rogerius per omnia lætis potitus ſucceſſibus, totas Boamundi terras, omnemque Ducatum in integrum potentiſſimè obtinere videretur, necnon Capuanorum Princeps, Magiſterque militum *Neapolitanus*, omniſque terra quæ erat uſque pene fines Anconitanæ Urbis, bellorum cunctis contrarietatibus ſopitis, ſibi ſubderentur; epiſſimâ ſibi ac familiari quorumdam, maximèque Henrici Comitis avunculi

Pour prouver la ſouveraineté du Roi de Sicile

ſui, à quo plus aliis diligebatur, cœpit ſuggeri collocutione; videlicet ut ipſe qui tot Provinciis Siciliæ, Calabriæ, Apuliæ cæteriſque regionibus, quæ penè Romam uſque habentur, Domino cooperante dominabatur, nequaquam uti Ducalis ſed Regii illuſtrari culminis honore deberet; qui etiam addebant quod regni ipſius principium & caput Panormus Siciliæ metropolis fieri deceret, quæ olim ſub priſcis temporibus ſuper hanc ipſam Provinciam Reges nonnullos habuiſſe traditur, quæ poſtea pluribus evolutis annis, occulto Dei diſponente judicio, nunc uſque ſine Regibus manſit.

Horum itaque amica atque laudanda ſuggeſtio cùm infra ſemetipſum multifariè tractando verſaretur, velletque exinde certum ratumque habere conſilium, Salernum regreditur, extra quam non longè convocatis ad ſe aliquibus Eccleſiaſticis peritiſſimis, atque competentioribus perſonis, necnon quibuſdam Principibus, Comitibus, Baronibus, ſimulque aliis qui ſibi ſunt viſi probatioribus viris, patefecit eis examinandum ſecretum & inopinatum negotium; ac illi rem ipſam ſollicitè perſcrutantes, unanimiter tandem, uno ore laudant, concedunt, decernunt, imò magnopere precibus inſiſtunt ut Rogerius Dux

in

in regiam dignitatem apud Panormum Siciliæ metropolim promoveri debeat; qui non tantùm Siciliæ paternâ hæreditate, verumetiam Calabriæ, Apuliæ cæterarumque terrarum quæ non ſolùm ab eo bellicâ obtinentur virtute, ſed & propinquitate generis antecedentium Ducum jure ſuccedere debent. Nam ſi regni ſolium in eadem quondam civitate ad regendum tantùm Siciliam certum eſt extitiſſe, & nunc ad ipſum per longum tempus defeciſſe videtur, valde dignum & juſtum eſt ut in capite Rogerii diademate poſito, regnum ipſum non ſolùm ibi modò reſtituatur, ſed in cæteras etiam regiones, quibus jam dominari cernitur, dilatari debeat.

Iſtorum itaque Dux conſiliis & veridicis aſſertionibus roboratus Siciliam repetit, mandans ſuarum Provinciis ubique terrarum, quatenus omnes cujuſcumque dignitatis vel poteſtatis, ſeu honoris eſſent, in die ſuſceptionis ejus coronæ, quem dominici Natalis primò adventis ſolemnitas ſuſceptura erat, Panormi omnes convenientes adeſſent. Cum ergo ad diem conſtitutum univerſi illi, ſimulque & de populis puſilli & magni abſque numero confluxiſſent, hujuſcemodi iterum cauſa ſolemniter diligenterque inveſtigata atque tractata ab omnibus eo-

dem modo quo & ſuprà, ad gloriam Dei ejuſdemque Eccleſiæ augmentum, regia in urbe Panormitana fieri omnino decernitur promotio; cui etiam adeo tanta conceſſa eſt virtutis potentia, ut ad exercendam malorum vindictam, & ad conſervationem juſtitiæ ipſum genus ſuum ampliori terrarum acquiſitione jam ſuperexcedere videatur.

Cum ergo Dux ad Eccleſiam Archiepiſcopalem more regio ductus, ibique unctione ſacrâ linitus regiam ſumpſiſſet dignitatem, non poteſt litteris exprimi, imò mente æſtimari, quæ & qualis quantave ejus tunc eſſet gloria, quàm magnus in regni decore, quàmque etiam in divitiarum affluentiis admirabilis; nempe aſpicientibus tunc univerſis ita videbatur ac ſi omnes hujuſmodi opes honoreſque adeſſent; inæſtimabiliter quidem tota coronabatur civitas, in qua nonniſi gaudium & lux erat.

NARRATIO ELECTIONIS *Et Coronationis Rogerii in Regem Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ, ex Chronico manuſcripto authographo.*

Idem, MOrtuo Guillelmo Apuliæ Duce, & extinctâ prorſus lineâ Roberti

Guiſcardi, Rogerius filius Comitis, noſtri Eremi fundator, Ducatum Apuliæ occupavit: quâ de cauſâ à Pontifice fuit excommunicatus, & poſt reconciliationem cum Pontifice habitam, per apoſtolicum Diploma ei Ducatum contulit. Itaque ditionem habente Rogerio Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ, Sergium Ducem Neapolis in bello vicit, obtinuitque etiam Principatum Capuæ; & nihil faciens Ducalem titulum, conſilio & ſententiâ Satraporum & Magiſtratûs, Regis titulo nuncupari voluit; ad cujus actûs celebritatem quamplures fuerunt acciti Archiepiſcopi & Epiſcopi, varii Comites & milites, cum quibus etiam Magiſter Radulphus à Crucifixo, Eremi Magiſter, voluit tantæ intereſſe ſolemnitati; & decurrente anno 1129. Indict. VIII. Kal. Maii, diſceſſit unà ſimul cum Epiſcopo Melitenſi & Squillacino, & in navigatione ob tempus & pluviam multa paſſi ſunt incommoda: tandem ad civitatem Meſſanam appulerunt, ubi ab illius civitatis Epiſcopo mira cum charitate recepti fuerunt. Poſt tertium quoque diem iter habueruntPanormum versûs, ubi invenerunt apparatus quàmplures, occaſione tantæ ſolemnitatis; & Idibus Maii conſtituta die pro Rogerii coronatione, ipſe comparuit ſuo in

Palatio indutus regali veſtimento, auro contexto, capite cooperto parvo ſericeo Bireto, catenâ aureâ ad collum, multiplici gemmarum texturâ variatâ, & equo reſidens, ad majorem Eccleſiam, magnâ Prælatorum & Procerum, ſimul & equitantium cohorte ductus fuit, ubi à Clero ſummo cum honore receptus eſt; erat quippe Templum pretioſiſſimo ac nitidiſſimo apparatu excultum, ita ut intuentium oculos ſumma admiratione afficiebat; ibique tantus diverſarum nationum concurſus fuit, ut vix ad Eccleſiam pateret aditus. Factis aliquibus ceremoniis à Prælatis, demùm Beneventanus, Capuanus, Salernitanus & Panormitanus regale Diadema variis contextum gemmis Rogerii caput ornarunt, eique ſceptrum tradiderunt, & Regis titulo ab omnibus fuit acclamatus: & hymno dicto pro gratiarum actione, omni genere muſicorum, tubis, citharis & ſymphoniis, ipſis & Rege equitantibus, aſſociatus fuit per urbem & ad Regiam ductus; quibus omnibus adfuêre, Rogerius Archiepiſcopus Beneventanus, Philippus Archiepiſcopus Capuanus, Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus, Petrus Archiepiſcopus Panormitanus, Angelus Archiepiſcopus Barenſis, Verterandus Archie-

piſcopus Tranenſis, Arnulphus Archiepiſcopus Cuſentinus, Joannes Sanctæ Severinæ Archiepiſcopus, Gualterius Archiepiſcopus Tarentinus, Joannes Cannenſis Epiſcopus, Hugo Meſſanæ Epiſcopus, Ricardus Caïetæ Epiſcopus, Sigebertus Arinenſis Epiſcopus, Truſtinus Mazarinus Epiſcopus, Petrus Ravellenſis Epiſcopus, Rolandus Epiſcopus Syracuſanus, Honorius Epiſcopus Trojanus, Rogerius Epiſcopus Agrigentinus, Robertus Epiſcopus Averſanus, Angerius Catanenſis Epiſcopus, Nicolaus Cotronenſis Epiſcopus: adfuit etiam Epiſcopus Grentinus, Tropeianus Locrenſis, Briſedianus, & Caſſanenſis; Raynaldus Calamontarius Abbas Caſſinenſis, Umfridus Abbas, Stephanus Abbas, Deſiderius Abbas, & Radulphus à Crucifixo Magiſter Eremi: adfuerunt quoque Loritellus Comes Catanzarii, Ricardus Dux Caïetæ, Ammianus Regis Conradi Legatus, Rogerius Culchebret Comes Arenæ, Canzolinus Rogerii Cancellarius, Nicolaus Rogerii Protonotarius, Anſelmus Piperio Comes, Petrus de Sancto-Severino Comes, Anfrigus Capicius Comes, Ranulphus Comes, Tancredus Filangerius, Guillelmus Culchebret de Arenis, Hugo de Claramonte, Rogerius à Venello, Go-

fredus Altavilla, Hugo Graffeo, Fulco Cataſenſis, Amfridus Bonellus, Petrus de Montorio, & quamplures alii milites, & innumerus populus.

1131. FUNDATIO ECCLESIÆ *Cephalenſis à Rege Rogerio.*

Preuve du droit de Roger ſur les Egliſes.

QUapropter ego Rogerius, Rex potens in Chriſto & fideliſſimus, hæc prædicta non ignorans, unà cum aliis Chriſtianis qui ea ore devoto & fideli profitentur, feci ædificare Templum Epiſcopatus, ab initio fundationis ſuæ, in loco qui dicitur Cephaludum, in nomine & honore Salvatoris, ad gloriam Dei, & ſalvationem hominum: nec in hoc tantùm ſtetit deſiderium meum, quia bonum hoc non eſſet integrè adimpletum; ſed dedi prædictæ Eccleſiæ Epiſcopali cum aliis neceſſariis, homines qui perpetuo nomine in platiâ aliâ conſcribuntur: cum iis etiam dedi ei terras in loco qui dicitur Mutata, ſuis limitibus conſcriptas; præterea dedi eidem Eccleſiæ Mandram unam quæ poſt ultra flumen Tortum, &c. Datum menſe Martii, X. Indict. anno ab initio mundi 6640. Eodem anno & die . . . donamus Epiſcopatui ad honorem & gloriam ſuam inprimis de portu Tonnariam, &

totam piſcariam maris ad opus ſuum, & eorum qui ſunt in eo, & propria navigia ſua, &c.

ERECTIO EPISCOPATUS 1131.

Liparenſis ab Anacleto, quâ ſarta tectaque vult Conceſſiones & Privilegia ab Eccleſiâ Romanâ Rogerio & ſucceſſoribus ejus conceſſa.

ANacletus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis in Domino filiis in Liparitano Cœnobio regulariter Domino ſervientibus & ſervituris in perpetuum. Sedis Apoſtolicæ moderatio, quam licèt indigni, Deo diſponente, ſuſcepimus, nos invitat quatenus pro varietate temporum diverſas res metiri debeamus: Liparitanum ſiquidem Monaſterium unum fuiſſe hactenus ex majoribus Siciliæ Monaſteriis, & ad Romanæ Eccleſiæ jus pertinere dignoſcitur. Creſcente igitur glorioſi filii noſtri Regis Rogerii gloriâ, quam ſibi ſuiſque filiis Sedis Apoſtolicæ liberalitas tradidit, dignum ſatis ac juſtum eſt, ut ejuſdem regimen Eccleſiæ noſtris quoque temporibus augmentetur. Decernimus igitur de fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium conſilio, & hoc præſenti Decreto ſtatuimus ut jam

Preuve de la poſſeſſion des Rois de Sicile.

dictum Liparitanum Cœnobium Episcopalem deinceps obtineat dignitatem, & proprium mereatur Antistitem, qui per manus venerabilis fratris nostri Messanensis Archiepiscopi munera consecrationis accipiat, & Messanensi Ecclesiæ tam ipse quàm successores illius, tanquam suæ Metropoli debeat perpetuò subjacere: *Salvis tamen in omnibus Concessionibus & Privilegiis glorioso filio nostro Rogerio suisque hæredibus, à Romana Ecclesia traditis.* Si quâ igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòve commonita, si non satisfactione congruâ emendaverit, potestatis honorisve sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem hæc justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, ut & hîc fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis. Amen, Amen, Amen.

Anacletus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Credentius Presbyter Cardinalis tituli Sancti-Petri & Marcelli, subscripsi.

Ego Joannes Presbyter Cardinalis tit. Pastoris, SS.

Ego Amatus Presbyter Cardinalis tit. sancti Eusebii, SS.

Ego Gregorius Cardinalis Diaconus sancti Eustachii, SS.

Ego Sylvius Cardinalis Diaconus sanctæ Luciæ, SS.

Ego Raynaldus Diaconus Cardinalis sancti Laurentii, SS.

Datum Priverni, per manus Saxonis S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancel. XVIII. Kal. Octob. Indict. IX. Incarnatione Domini 1131. Pontific. autem Domini Anacleti II. PP. anno secundo. *In Sigillo*, Dominus fortitudo plebis suæ. S. Petrus, S. Paulus. Anacletus II. PP.

Erectio Episcopatus

Cephalensis ab Anacleto II. in quâ sarta tectaque vult esse Concessiones & Privilegia ab Ecclesia Romana Rogerio & successoribus ejus concessa.

Anacletus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis in Christo, sub Regula Canonica in Cephaludensi Ecclesia, Domino servientibus in perpetuum. In Apostolicæ Sedis administrationem adhuc nos dispositio divina promovit, ut locorum venerabilium honori

& exaltationi providere attentiùs debeamus. Quocirca ſanctam Cephaludenſem Eccleſiam, in quibus per Dei gratiam poſſumus, cupimus exaltare. Siquidem fratrum & filiorum noſtrorum Cardinalium & Epiſcoporum conſilio, jam præfatam Eccleſiam Sedem Epiſcopalem fore deinceps, Domino præſtante, decernimus, in quâ Cardinalem Epiſcopum volumus de cætero permanere, qui per manus Meſſanenſis Archiepiſcopi myſteria conſecrationis accipiat; & tam ipſe quàm ſucceſſores ejus debitam Meſſanenſi Eccleſiæ tanquam ſuæ Metropoli obedientiam ſtudeat exhibere: cui videlicet Sedi Cephaludenſi Eccleſiam Balneariæ cum ſuis omnibus pertinentiis, ſubjectam eſſe præcipimus. Decernimus igitur ut quidquid prænominata Cephaludenſis Eccleſia præſenti IX. Indictione legitimè poſſideat, & quæ in futurum, tam glorioſi filii noſtri Rogerii Regis donationibus, quàm conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, canonicè poterit adipiſci, firma ſemper illibataque permaneant, & nulli unquam, neque Meſſanenſi Archiepiſcopo, nec alicui eccleſiaſticæ ſecularive perſonæ ſit licitum præfatam Cephaludenſem Eccleſiam quomodolibet imminuere, vel temerariis vexationibus

fatigare; ſed omnia ei, ſicut jam diximus, firma & illibata perpetuò conſerventur: *Salvis in omnibus Privilegiis atque conceſſionibus glorioſo filio noſtro Regi Rogerio, & filiis ſuis à Romana Eccleſia traditis.* Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſeculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contraeam temerè venire tentaverit, ſecundò tertiòve commonita, ſi non ſatisfactione congruâ emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetratâ iniquitate cognoſcat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem hæc juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Anacletus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Creſcentius Preſbyter Cardinalis ſanctorum Marcelli & Petri, SS.

Ego Joannes Preſbyter Card. tit. ſancti Paſtoris, SS.

Ego Amatus Preſb. Cardinalis titulo Euſebii, SS.

Ego Gregorius Diac. Card. S. Euſtachii.

Ego Sylvius Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ, SS.

Ego Raynaldus Diac. Cardin. S. Laurentii, SS.

Datum Priverni per manus Saxonis S. R. E. Presbyteri Cardin. Cancellarii, XVIII. Kal. Octob. Indict. IX. Incarnationis Dominicæ anno 1131. Pontificatûs autem Domini Anacleti II. Papæ anno secundo.

1139. ## BULLA INNOCENTII III.

Quâ Rogerium Regem recognoscit.

Preuve que la Sicile est un Roiaume independant.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Rogerio, illustri & glorioso Siciliæ Regi, ejusque hæredibus in perpetuum.

Quos dispensatio divini consilii ad regimen & salutem populi ab alto elegit, & prudentiâ, justitiâ aliarumque virtutum decore decenter ornavit, dignum & rationabile est ut sponsa Christi sancta & Apostolica Romana Mater Ecclesia affectione sincerâ diligat, & de sublimibus ad sublimiora promoveat; manifestis siquidem probatum est argumentis, quod egregiæ memoriæ strenuus & fidelis miles B. Petri Robertus Guiscardus prædecessor tuus, Dux Apuliæ, magnificos & potentes hostes Ecclesiæ viriliter expu-

gnavit, & posteritati suæ dignum memoriæ nomen, & inimitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illustris recordationis Rogerius, per bellicos sudores & militaria certamina inimicorum christiani nominis intrepidus extirpator, & christianæ religionis diligens propugnator, utpote bonus ac devotus filius multimoda obsequia matri suæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ impertivit. Unde & prædecessor noster, religiosus & prudens Papa Honorius, nobilitatem tuam de prædicta generositate descendentem intuitus, plurimùm de te sperans, & prudentiâ ornatum, justitiâ munitum, atque ad regimen populi te idoneum esse credens, valdè dilexit, & ad altiora provexit. Nos ergo ejus vestigiis inhærentes, & de potentia tua ad decorem & utilitatem sanctæ Dei Ecclesiæ, spem atque fiduciam obtinentes, regnum Siciliæ, quod utique (prout in antiquis refertur Historiis) regnum fuisse non dubium est, tibi ab eodem antecessore nostro concessum cum integritate honoris regii, & dignitate Regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & apostolica authoritate firmamus; Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum, & insuper Principatum Capuanum integrè nihilominus nostri favoris robore

communimus tibique concedimus ; & ut ad amorem atque obſequium B. Petri Apoſtolorum Principis, & noſtrum, ac ſucceſſorum noſtrorum vehementiùs aſtringaris, hæc ipſa, id eſt Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ, hæredibus tuis, qui nobis & ſucceſſoribus noſtris (niſi per nos & ſucceſſores noſtros remanſerit) ligium, homagium fecerint, & fidelitatem quam tu jurafti, juraverint, tempore videlicet competenti, & loco non ſuſpecto, ſed tuto nobis & ipſis atque ſalubri, duximus concedenda, eoſque ſuper his quæ conceſſa ſunt, Deo propitio, manutenebimus. Quod ſi per eos fortè remanſerit, iidem hæredes tui nihilominus teneant quod tenebant ſine diminutione. Cenſus autem ſicut ſtatutum eſt, id eſt ſexcentorum Schifatorum, à te tuiſque hæredibus, nobis noſtriſque ſucceſſoribus ſingulis annis reddatur, niſi fortè impedimentum interveniat : rémovente verò te impedimentum, nihilominus perſolvetur. Tuâ ergo, fili cariſſime, intereſt ita te erga honorem atque ſervitium matris tuæ S. R. E. devotum ac humilem exhibere, ita temetipſum in ejus opportunitatibus exercere, ut de tam devoto & glorioſo filio Sedes Apoſtolica gaudeat, & in ejus amore quieſcat. Si qua, ſive

ecclesiastica sæculariſve potentia huic noſtræ conceſſioni temerè contraire tentaverit, donec præſumptionem ſuam congruâ ſatisfactione coërceat, indignationem Dei omnipotentis, beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat; & quouſque reſipuerit, anathematis ſententiâ percellatur. Amen.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego Albericus Oſtienſis Epiſcopus.

Haimericus S. R. E. Diaconus Cardinalis. Datum in territorio Marianenſi per manum H. Cancel. 6. Kal. Auguſti, Indictione II. Incarnationis Dominicæ, anno 1139, Pontificatûs verò domini Innocentii Papæ II. anno 10.

OTTO FRISINGENSIS 1144.
de rebus geſtis. Frid. Imperat. lib. 2. cap. 29.

Sous le Pontificat de Luce II. pour le Roi Roger. Les marques de Legation accordées au Roi Roger par le Pape.

AD colloquium Regis condeſcendimus, & quia ad honorem Dei & Eccleſiæ firmam pacem cum eo facere non potuimus, inſtante tamen ipſius violentiâ nos cogente, treguam cum eo compoſuimus. Concordiam autem inquiunt inter Siculum & Papam hujuſmodi eſſe accepimus. Papa conceſſit Siculo virgam & annulum & dalmaticam,

& mitram atque ſandalia, ne ullum mittat in terram ſuam Legatum, niſi quem Siculus petierit.

1156. DIPLOMA GUILLELMI.

IN nomine Dei æterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Domino Hadriano Dei gratiâ S. R. E. ſummo Pontifici, cariſſimo domino & patri noſtro reverendo, ejuſque ſucceſſoribus, Willelmus eâdem gratiâ Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, & Principatûs Capuæ.

Preuve que Guillaume Roi de Sicile étoit en poſſeſſion de la legation.

Noſtræ ſemper conſuetudinis extitit animum noſtrum in triumphis & maximis humiliare ſucceſſibus, & tunc nos attentiùs ad omnipotentis Dei obſequium & cultum manſuetudinis exponere, eum ad majorem proſperitatem & gloriam nos vidimus pervenire. Tales in tranquillis & proſperis rebus erga noſtri Redemptoris obſequium invenirl volentes, ut perceptorum à Rege omnium Regum beneficiorum non appareamus ingrati, & majores ſucceſſus atque victorias de brachio virtutis Dei jugiter ſperare poſſimus. Hujus quidem noſtræ conſuetudinis conſideratione inducti, cæſis & comprehenſis in manu bellica ad laudem & gloriam nominis

Dei, Græcis & Barbaris nationibus, quæ regnum noſtrum nullâ earum vi, ſed proditorum noſtrorum doloſitate intraverant, devictis & fugatis de finibus regni noſtri turbatoribus pacis & proditoribus noſtris, humiliandos nos ſub manu omnipotenti Dei decrevimus, & ad cultum humilitatis propenſiùs intendendum.

Diſcordiis igitur illis quæ inter Romanam Eccleſiam fuerant agitatæ, finem congruum imponere cupientes, cùm appropinquaviſſemus civitati Beneventi, & inimici noſtri ante faciem indignationis noſtræ fugiſſent, venerabiles Cardinales veſtros Hubaldum tituli ſanctæ Praxedis, & Julium tituli ſancti Marcelli, Preſbyteros Cardinales, & cum eis Rolandum tituli ſancti Marci Preſbyterum Cardinalem & Cancellarium veſtrum, quos ad noſtram præſentiam direxiſtis, eo quo decuit honore ſuſcepimus, & deſiderium ac monita veſtra de bono pacis ex ore ipſorum libenti animo audientes, ipſis & Maione magno Ammirato Ammiratorum dilecto fideli & familiari noſtro, & Hugone Panormitano, & Romualdo Salernitano, venerabilibus Archiepiſcopis, & Willelmo Calano Epiſcopo, & Marino Cavenſi Abbate, fidelibus noſtris mediantibus in hunc vo-

biſcum per eos pacis devenimus concordiæque tenorem, videlicet, ut de capitulis illis, de quibus inter majeſtatem veſtram & nos controverſia vertebatur, quod ſubſcriptum eſt obſervetur.

De appellationibus quidem, ita ſi aliquis Clericus in Apulia & Calabria, & aliis terris, quæ Apuliæ ſunt affines, adverſus alium Clericum de cauſis eccleſiaſticis querelam habuerit, & à Capitulo aut Epiſcopo, vel Archiepiſcopo ſuo, ſeu aliâ Eccleſiaſticâ Perſonâ ſuæ provinciæ non poterit emendari, liberè tunc, ſi voluerit, ad Eccleſiam Romanam appellet. Tranſlationes in Eccleſiis fient, ſi neceſſitas aut utilitas Eccleſiæ aliquem de una Eccleſia ad aliam vocaverit, & vos aut veſtri ſucceſſores concedere volueritis. Conſecrationes & viſitationes liberè Romana Eccleſia faciet Apuliæ vel Calabriæ civitatum ut voluerit, aut illarum partium qnæ Apuliæ ſunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus perſona noſtra vel noſtrorum hæredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, niſi cum voluntate noſtra noſtrorumque hæredum. In Apulia & Calabria & partibus illis quæ Apuliæ ſunt affines, Romana Eccleſia liberè legationes habebit; illi tamen qui ad hoc à Romanâ Eccleſiâ fuerint delegati, poſſeſſiones

Ecclesiæ non devastent. In Siciliâ quoque Romana Ecclesia consecrationes & visitationes habeat; & si de Siciliâ personas aliquas Ecclesiastici Ordinis vocaverit, magnificentia nostra nostrorumque hæredum pro Christianitate faciendâ, vel pro suscipiendâ coronâ, remoto malo ingenio retinebit quas providerit retinendas; cætera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia quæ habet in aliis partibus regni nostri, *exceptâ appellatione & legatione*, quæ nisi *ad petitionem nostram*, & hæredum nostrorum ubi non fient. De Ecclesiis & Monasteriis terræ nostræ, de quibus Romanæ Ecclesiæ quæstio mota fuit, sic fiat; vos quidem & vestri successores in eis habebitis eas quæ in cæteris Ecclesiis quæ sub nostrâ potestate consistunt, solitæ sunt accipi. Consecrationes & benedictiones à Romanâ Ecclesiâ & debitos insuper ac statutos ei census exsolvent. De electionibus quidem ita fiat. Clerici conveniant in personam idoneam, & illud inter se secretum habebunt, donec personam illam excellentiæ nostræ pronuntient, & postquam persona celsitudini nostræ fuerit designata, si persona illa de proditoribus, aut inimicis nostris, vel hæredum nostrorum non fuerit, aut magnificentiæ nostræ non extiterit odiosa, vel alia in eâ causa non

fuerit, pro quâ non debemus assentire; assensum præstabimus. Profecto vos nobis & Rogerio Duci filio nostro, & hæredibus nostris, qui in regnum pro voluntariâ ordinatione nostrâ successerint, concedetis regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ cum omnibus suis pertinentiis, Neapolim & Salernum & Malphiam cum pertinentiis suis, Marchiam & alia quæ ultra Marsicam debemus habere, & reliqua tenimenta quæ tenemus à prædecessoribus nostris, hominibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ jure detenta, & contra omnes homines adjuvabitis honorificè manu tenere, pro quibus omnibus vobis, vestrisque successoribus & S. R. E. fidelitatem juravimus, & vobis ligium, homagium fecimus, sicut continetur in duobus similibus capitularibus, quorum alterum penes vestram majestatem sigillo nostro aureo, alterum verò sigillo vestro signatum penes nos habetur, & censum sexcentorum Schifatorum de Apulia & Calabria, quingentorum verò de Marchiâ, vel æquivalens in auro vel argento, nos ac nostros hæredes Romanæ Ecclesiæ statuimus annis singulis soluturos, nisi fortè impedimentum aliquod interceserit, quo cessante census ex integro persolvetur. Omnia verò præ-

dicta quæ nobis conceſſiſtis, ſicut nobis, ita etiam & hæredibus noſtris concedetis, quos pro voluntaria ordinatione noſtra ſtatuerimus, qui ſicut nos, vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem facere, & quæ præſcripta ſunt, voluerint obſervare. Ut autem quæ ſupradicta ſunt tam veſtro quàm veſtrorum ſucceſſorum tempore obtineant perpetuam firmitatem, nec noſtris, aut noſtrorum hæredum temporibus alicujus valeant præſumptione turbari, præſens ſcriptum per manum Matthæi noſtri Notarii ſcribi, ac Bullâ aureâ noſtro Typario impreſſâ, inſigniri, ac noſtro ſignaculo decorari juſſimus. Datum ante Beneventum per manus Maïonis magni Ammirati Ammiratorum, anno dominicæ Incarnationis milleſimocenteſimo quinquageſimo ſexto, menſe Junii, IV. Indict. anno verò regni Domini Willelmi, Dei gratiâ magnifici & glorioſiſſimi Regis Siciliæ, Ducatûs Apuliæ & Principatûs Capuæ ſexto feliciter. Amen.

EXCERPTUM EX VITA *Innocentii III. Authore coætaneo.*

N° XXI.

Preuve qu'Innocent III. a voulu revoquer le Concordat fait avec Adrien IV & le Roi Guillaume, pour les droits de la Monarchie de Sicile & qu'il l'a confirmé.

POst mortem Imperatoris, infra tres menſes obiit Celeſtinus, & ſubſtitutus eſt Innocentius, rebus taliter & aliter variatis. Imperatrix verò Conſtantia reverſa Panormum miſit ad Duciſſam Spoleti quæ filium ſuum in Marchia nutriebat, & perductum ad ſe coronari fecit in Regem, cœpitque cum illo regnare. Direxit autem in continenti nuntios cum muneribus ad Dominum Innocentium, devotiſſimè poſtulans ut Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ cum cæteris adjacentiis, ſibi & filio ſuo concedere dignaretur ſecundùm formam quâ prædeceſſores ejus conceſſerunt illa prædeceſſoribus ſuis. Ipſe verò ſagaciſſimus Pontifex diligenter attendens quod Privilegium conceſſionis indultum primò ab Adriano, & renovatum poſtmodùm à Clemente, ſuper quatuor Capitulis, videlicet Electionibus, Legationibus, Appellationibus & Conciliis, derogabat non ſolùm apoſtolicæ dignitati, verùm etiam eccleſiaſticæ libertati; mandavit Imperatrici ut illis Capitulis renuntiaret omnino, cùm ea non eſſet

aliquatenus conceſſurus. Tentavit illa propoſitum ejus muneribus immutare; quod cùm efficere nequiviſſet, miſſis honorabilibus nuntiis Anſelmo Neapolitanenſi Archiepiſcopo, Aimerico Syracuſanenſi Archidiacono, Thoma Juſtiario, & Nicolao Judice, poſt tractatum diutinum, obtinuerunt conceſſionis privilegium innovari, Capitulis illis omnino remotis, ſub cenſu, fidelitate ac hominio conſuetis. Privilegium non pervenit ad illam, mortis acceleratione præventam.

CLAUSULA TESTAMENTI *Imperatoris Frederici II. ac Siciliæ Regis.* 1250.

IN nomine æterni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejuſdem 1250, ac Sabbati ſeptimo decimo Decembris, nonæ Indictionis, &c. Nos igitur Fredericus II. divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex; memores conditionis humanæ, quam ſemper imitatur innata fragilitas, dum vitæ nobis inſtaret terminus, loquelæ & memoriæ nobis integritate vigente, ægro corpore, & ſanâ mente, ſic animæ noſtræ conſulendum

Preuve que le Roiaume de Sicile étoit indépendant.

providimus, ſic de Imperio & Regnis noſtris duximus ſtatuendum, ut rebus humanis aſſumpti vivere videamur, & filiis noſtris quod nos divina clementia fœcundavit; quos præſente diſpoſitione noſtra ſub pœna benedictionis noſtræ volumus eſſe contentos; ambitione ſublatâ, omnis materia ſcandali ſopiatur. Statuimus itaque *Conradum* Regem electum in Regno Hieroſolimitano, dilectum filium noſtrum nobis hæredem in Imperio & omnibus aliis emptitiis & quoquomodo acquiſitis, & ſpecialiter in Regno noſtro Siciliæ; quem ſi decedere contigerit ſine liberis, ei ſuccedat Henricus filius noſter; quo defuncto ſine liberis, ei ſuccedat Manfredus filius noſter: Conrado verò manente in Alemannia, vel alibi extra Regnum, ſtatuimus dictum Manfredum Bajulum dicti Conradi in Italia, & ſpecialiter in Regno Siciliæ, dantes ei plenariam poteſtatem omnia faciendi quæ perſona noſtra facere poſſet ſi viveremus, videlicet in concedendis caſtris, terris, villis, & parentelis, dignitatibus, beneficiis, & omnibus aliis juxta diſpoſitionem ſuam: præter antiqua domania Regni Siciliæ, & quod Conradus, Henricus, prædicti filii noſtri, & eorum hæredes omnia quæ ipſe fecit, firma & rata teneant & obſervent.

vent. Item concedimus & confirmamus dicto Manfredo filio noſtro, Principatum Taranti, videlicet à Porta, aliàs à Petra Roſeti, uſque ad ortum fluminis Brandavii montis Scabioſi; Tricania, Tricaria, & Gravina, prout Comitatus protenditur à maritima terræ Bari, uſque ad Polienarium, & ipſum Polienarium cum terris omnibus; à Polienariis per totam maritimam uſque ad prædictam Portam Roſeti, ſcilicet civitatibus, caſtris & villis, juſtitiis & pertinentiis ſuis, & rationibus tam ipſius Principatus, quàm Comitatuum prædictorum: concedimus eidem civitatem Gentis ſancti Angeli cum toto onere ſuo, & cum omnibus civitatibus, caſtris & villis, terris, pertinentiis, juſtitiis & rationibus eidem ejuſmodi pertinentibus; ſcilicet quod in demanio in demanium, & quod in ſervitio in ſervitium concedimus. Confirmamus eidem quidquid ſibi Imperio eſt noſtræ Majeſtati conceſſum; ita tamen quod prædicta omnia à prædicto Conrado teneat, ac etiam recognoſcat; id autem univerſis fidelibus noſtris præſentibus & futuris ſub ſacramento fidelitatis, quo nobis & hæredibus noſtris tenetur Imperium, quod prædicta omnia illibata teneat & obſervet. Præſens autem teſtamentum & ul-

timam voluntatem noſtram, quam robur firmitatis obtinere volumus, per prædictum Magiſtrum Nicolaum ſcribi, & ſigno ſanctæ Crucis propriæ manus noſtræ, & aliorum ſubſcriptionibus juſſimus communiri. Scriptum apud Florentium in Capitinata, anno, menſe, & die ac Indict. præmiſſis, anno Imperii noſtri treceſimo ſecundo, Regni Hieruſalem vigeſimo octavo.

BULLA ALEXANDRI IV, *ad Panormitanos.*

Confirmation des droits du Roiaume de Sicile par Alexandre IV.

ALexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Panormitanis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex ſinceræ devotionis affectu quo nos ac Romanam Eccleſiam matrem veſtram filiali devotione honorare & venerari ducimini, procedit ut vos ſpeciali prærogativa favoris & gratiæ proſequamur: hinc eſt quod veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, *omnes honores, libertates, primitias & immunitates* à claræ memoriæ Regibus Siciliæ per privilegia, vel aliàs rationabiliter vobis indulta, authoritate apoſtolicâ vobis in devotione Eccleſiæ perſiſtentibus confirmamus:

nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & B B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Neapoli 14 Kal. Februarii, Pontificatûs noſtri anno primo.

DIPLOMA REGIS MARTINI.

1130.

MArtinus &c. Philippo Spallita ſecreto, & Magiſtro Procuratori felicis urbis Panormi, & Joanni de ſancto Sepulchro de officio Theſaurariæ, & cuilibet veſtrûm in alterius abſentia, familiaribus & fidelibus noſtris, gratiam, &c. Per Majeſtatem noſtram noviter eſt proviſum quod omnia quæcumque bona Archiepiſcopi Panormitani nuper defuncti, ac etiam reditus & proventus Archiepiſcopatûs ipſius, tanquam Paſtore vacantis, perveniant & pervenire debeant ad manus, & poſſe veſtrûm nomine, & pro parte noſtræ Curiæ, *cùm ex authoritate apoſtolicâ nobis conceſſâ*, de bonis Prælatiarum vacantium in noſtro Regno, poſſimus licitè noſtris neceſſitatibus ſubvenire: propterea fidelitati veſtræ, &

Pour prouver l'autorité du Roi de Sicile ſur ſon Roiaume.

cuilibet veſtrûm committimus & mandamus quatenus receptis præſentibus, omnia & ſingula bona dicti quondam Archiepiſcopi, quæ poſt ejus obitum remanſerint, authoritate præſentium omni diligentia quâ decet, inquiratis & inveſtigetis, eaque nomine & pro parte dictæ noſtræ Curiæ exigatis, petatis, & habeatis, necnon omnes & quoſcumque fructus, reditus & proventus dicti Archiepiſcopatus de cætero quouſque fuerit ſuper hoc aliter ordinatum, recolligatis, & recolligi penitus faciatis; de quibus quidem proventibus& reditibus deductis primò & adimpletis expenſis & proviſionibus neceſſariis Eccleſiæ & Archiepiſcopatui ipſius, illis modo & formâ quibus hactenus tempore Archiepiſcoporum erat fieri ſolitum, & ſervari totum reſiduum ſuperius ex inde, & bona dicti Archiepiſcopi ſicut ſuprà, Theſaurario noſtræ Cameræ, vel ejus in Curia locum tenenti, aut tui, vel quibus Theſaurarius ipſe noſtri parte vobis mandabit, aſſignetis: Mandantes expreſsè Capitaneo, Prætori & cæteris Officialibus dictæ urbis Panormi, ut vobis, & cuilibet veſtrûm facta inquiſitione & habitione dictorum bonorum dicti quondam Archiepiſcopi, ac recollectione fructuum & redituum Archiepiſcopatûs prædicti, quoties opus

fuerit, & ad id vos extiteritis requiſiti, auxilium, conſilium & brachium & favorem tribuant opportuna, taliter quod eorum brachio & favore mediantibus, valeatis omnia prædicta vobis commiſſa exequi, & effectualiter adimplere. Datum Cataniæ ſub anno Dñi 1399, die 18 Oct. Indict. VIII. Poſt datum volumus quod de dictis bonis quondam Archiepiſcopi, & reditibus Archiepiſcopatus ipſius, tu & Secretus & Magiſter Procurator, faciatis unum quaternum, bona prædicta, & reditus & proventus, necnon proviſiones & expenſas neceſſarias jam dictas particulariter continentem, cujus copiam magnæ noſtræ Curiæ officii rationum pro ſui cautela mittas & facias aſſignari. Datum ſuprà. Rex Martinus. Dominus Rex mandavit mihi Philippo Viperano.

SENTENTIA ABBATIS SICULI *Panormitani, delegati à Rege Alphonſo, Aragonum & Siciliæ Rege.* 1429.

CHriſti nomine invocato, Amen. Nos Nicolaus de Tudeſchis, Abbas Maniacenſis, & Cameræ Apoſtolicæ

Preuve de l'autorité du Roi de Sicile de nommer des Commiſſaires dans les Cauſes d'appel, pour juger des affaires eccleſiaſtiques.

generalis Auditor, unus ex regiis Consiliariis, ac Commissarius & Delegatus in hac causa appellationis interpositæ per Fratrem Salvum Assertum Abbatem Monasterii sanctæ Mariæ Montis majoris ad Sedem Apostolicam, deputatus per illustrissimum D. Principem Alphonsum, Regem Aragonum, Siciliæ, &c. loco Romanæ Curiæ, UT EIDEM PRINCIPI HÆC POTESTAS IN HAC PARTE COMPETIT EX PRIVILEGIIS SUMMORUM PONTIFICUM, ET EX ANTIQUISSIMA CONSUETUDINE, in quæstione vertente inter reverendum Patrem Dñum Episcopum Cephaludensem, actorem & appellatum ex unâ; & dictum Fratrem Salvum conventum & appellantem, ex parte alterâ; & terminata per venerabilem virum Franciscum de Ursone, Vicarium reverendi Patris & Domini Archiepiscopi Panormitani, Commissarium & delegatum in hac causa per sanctissimum Patrem Dominum nostrum Eugenium Papam IV. prout plenius & serioſius constat ex actis dictæ causæ: visis, & recensitis omnibus actibus prioris instantiæ, ac auditis partibus quæ proponere voluerunt, consideratis potissimè quæ movere solent animum judicantis, sententia lata à dicto Domino Francisco de Ursone Commissario prædicto, quatenus concordat cum in-

fraſcriptâ noſtrâ ſententiâ, confirmamus; quatenus verò diſcordat, infirmamus; noſtrâ autem autoritate ſententia hæc eſt.

Nam condemnamus dictum fratrem Salvum aſſertum Abbatem dictæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Monte majori, poſſeſſorem dictæ Eccleſiæ, nomine ipſius Eccleſiæ ad dandum, ſolvendum & tradendum præfato domino Epiſcopo Cephaludenſi, ſeu ejus Procuratori pro eo, canonicam portionem, videlicet quartam partem omnium relictorum & datorum eidem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ per quondam dominum Guarnerium.

Datum Meſſanæ 22 Decembr. 1429.

BULLA EUGENII IV. 1433.
Ad Joannem Aragonum & Siciliæ Regem.

EUgenius IV. omnibus & ſingulis in civitatibus, caſtris, terris & locis regnorum & dominationum hujuſmodi conſiſtentibus perſonis, quod propter quaſcumque eorum vel perſonarum ratione prophanas querelas, quæſtiones, controverſias, lites & cauſas quas de cætero inter eas, vel earum aliquas, etiam per appellationes oriri vel moveri

Pour empêcher que les cauſes des Siciliens ne ſoient tirées à Rome.

contigerit, ipſæ aut earum aliquæ authoritate litterarum, ſeu reſcriptorum apoſtolicorum, necnon legatorum, delegatorum, & ſubdelegatorum Sedis prædictæ impetrandorum quomodolibet, ac ſtatutorum provincialium, quæ plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de conceſſione hujuſmodi non faciant mentionem in præfatâ Romanâ Curiâ ad judicium trahi, ſeu advocari non valeant, nec poſſint quamdiu cum effectu parati fuerint in regnis & locis hujuſmodi ſtare mandatis, & mandatis obedire, & judicis ſuper hoc requiſiti ſimiliter parati fuerint exhibere partibus juſtitiæ complementum, authoritate apoſtolicâ tenore præſentium de ſpeciali dono gratiæ indulgemus, decernentes authoritate prædictâ nullius exiſtere firmitatis, omnes & ſingulas ſcripturas & proceſſus, quos forſan fieri & haberi, necnon irritum & inane quidquid contra conceſſionem hujuſmodi à quoquam quâvis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio, Kalen-

dis Novembr. Pontificatûs noſtri anno tertio. Joannes de Sticatis ex lib. tertio de Curiâ Eugenii IV. fol. 58.

DIPLOMA ALPHONSI VI. *Regis Aragonum & Siciliæ.* 1445.

EGo Alphonſus Dei gratiâ Rex Siciliæ, plenum homagium, ligium & vaſſalagium faciens vobis domino meo Eugenio Papæ IV. & Eccleſiæ Romanæ pro regno Siciliæ & totâ terrâ ipſius, QUÆ EST CITRA PHARUM uſque ad confinium terrarum ipſius Eccleſiæ, exceptâ civitate Beneventanâ, cum toto territorio, ac omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis, ſecundùm antiquos fines territorii pertinentiarum, & diſtrictus civitatis ejuſdem per Romanum Pontificem diſtrictos, vel in poſterum diſtinguendos; ab hâc horâ in antea, fidelis & obediens ero beato Petro, & vobis domino meo domino Eugenio Papæ IV. veſtriſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ. Non ero in conſilio, vel conſenſu, ſeu facto ut vitam perdatis, ſeu perdant, aut membrum, ſive capiamini, vel capiantur malâ captione; conſilium quod mihi

Preuve que la Sicile au-delà du Phare ne devoit d'hommage lige au Pape.

credturi eſtis per vos, aut nuntios veſtros, vel per litteras ad veſtrum, vel eorum damnum ſcienter nemini pandam; & ſi ſcivero fieri, aut procurari, ſeu tractari aliquid, quod ſit in veſtrum aut ipſorum damnum, illud pro poſſe impediam; & ſi hoc impedire non poſſum, illud vobis vel eis ſignificare curabo. Papatum Romanum, Regalia ſancti Petri tam in *regno Siciliæ & terrâ* prædictis, quàm alibi conſiſtentia, adjutor vobis & eis ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, ac recuperata manu tenendum contra omnes homines. Univerſas & ſingulas conditiones ſupraſcriptas, & contentas, & in præſentibus litteris apoſtolicis ſuper ipſorum *regni & terræ* conceſſione confectis, & omnia & ſingula quæ continentur in eiſdem litteris, plenariè adimplebo, & nullo umquam tempore veniam contra illa, & maximè quod ego nunquam per me, vel alium, ſeu alios quoquo modo procurabo, ut eligar, vel nominer in Regem, vel Imperatorem Romanorum, ſeu Regem Teutoniæ, aut Dominum Longobardiæ, vel Tuſciæ, ſeu majoris partis earundem: & ſi electio de me celebrari contigerit, nullum eiuſmodi electioni, ſeu nominationi aſſenſum præſtabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum vel ali-

cujus ipſorum regimine, neque etiam de civitate Beneventanâ & ſuis pertinentiis, ſeu Campaniâ, vel Maritimâ, Ducatu Spoletano, Marchiâ Anconitanâ, Patrimonio beati Petri in Tuſciâ, Maſſâ Trebariâ, Romandiolâ, almâ urbe, in civitatibus Peruſinâ, civitate Caſtelli, Bononienſi, Ferrarienſi, Avenionenſi, Comitatu Venaſſini, ſeu in aliis terris quibuſcumque veſtris, & domaniis, ſeu feudis ipſius Eccleſiæ ubilibet conſtitutis, ex ſucceſſione, vel legato, aut venditione, ſeu donatione, ſeu alio quovis titulo, vel contractu, nihil unquam mihi acquiram, ſeu vindicabo, ſeu potero acquirere vel quomodolibet vindicare, & nihil umquam recipiam vel habebo, vel potero recipere, vel habere, vel retinere in illis : neque ullam poteſtatem, capitaniam, vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiam, ſeu accipere potero, habebo, vel retinebo, aut habere vel retinere potero in eiſdem, aut ipſorum aliquo ; nec etiam occupabo, aut occupare permittam, ſeu faciam, præmiſſa, ſeu partem aliquam eorumdem, nec illa offendam vel moleſtabo, nec etiam Romanam Eccleſiam quoquo modo, ſub cenſuris, & pœnis ſpiritualibus & temporalibus in ſupraſcriptis conditionibus, & in feudationibus contentis quas hîc haberi

volo in ſingulis partibus, alias pro ſpecificè repetitis etiam & expreſſis ; item perditionis alumno Amodeo hæretico & ſchiſmatico, à fide devio, & ab ipsâ Eccleſiâ præciſo, & ſententialiter condemnato, ejuſque ſequacibus, & dantibus ei auxilium, conſilium vel favorem non dabo quovis modo, per me, ſeu alium, ſeu alios, directè vel indirectè, publicè vel occultè, auxilium, conſilium, vel favorem, nec ab aliis quantùm in me fuerit, ſi impedire potero, dari permittam, ſed eos juxta poſſe meum, donec convertantur, perſequar & invadam ; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia. *Hactenus homagium & juramentum intextum in ipſa Alphonſi ratificatione, ubi in fine.* Datum Neapoli apud majorem Eccleſiam per manus mei prædicti Regis Alphonſi, anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto, die ſecundâ menſis Junii octavæ Indictionis, regnorum noſtrorum anno trigeſimo, hujus verò Siciliæ CITRA PHARUM regni undecimo.

DIPLOMA REGIS JOANNIS, *in gratiam Archimandritæ.* 1468.

RElegioſus F. dilectus noſter Abbas Petrus de Pitali, Archimandrita ſancti Salvatoris, bonis reſpectibus dictum Archimandritatum, qui de jure patronatûs noſtri extitit in religioſum & dilectum noſtrum *Fratrem Leontium* Chryſaphi Abbatem ſancti Gregorii de Gipſo, ſi noſter aderit aſſenſus renuntiavit, & quoniam de iis per vos dictum ſpectabilem Viceregem in quodam Capitulo noſtrarum Inſtructionum nuper fuimus humiliter ſupplicati; veſtris Supplicationibus benignè annuentes, dictam renuntiationem, ſive reſignationem per dictum Abbatem Petrum, in perſonam dicti Abbatis Leontii, gratiam habentes dictum Archimandritatum, eidem Abbati Leontio confirmamus, & de ipſo eumdem inveſtimus. Vobis mandamus quatenùs ſi Bullæ per ſanctiſſimum dominum Papam ſuper dicto Archimandritatu in favorem dicti Abbatis Leontii conceſſæ fuerint, ipſas debitæ executioni mandetis juxta ipſarum ſeriem & tenorem. Datum Cæſarauguſtæ 24 Julii, Indict. 1, anno ſalu-

Continuation de preuve de la poſſeſſion.

tis 1468, regni noſtri Navarræ anno 43, aliorum verò regnorum noſtrorum anno decimo.

1471. ## BULLA SIXTI IV.
Quâ Regia Monarchia Siciliæ confirmatur.

Confirmation de tous les droits & privileges accordez par les Rois de Sicile à Saint-Salvateur.

SIxtus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad futuram memoriam. Conſtitutus in ſæcula ſupremæ dignitatis Romanus Pontifex, æqua lanceæ diſcuſſione propoſitas ſibi cauſas, ſi quid in alicujus juris præjudicium emanaſſe comperit, id ne graviorem tendat in noxiam, ad rationis debitum reducit, lites extinguit, fundationes monaſteriorum, & antiqua Privilegia Apoſtolica corroborat: ſtatui & antiquitati religioſarum perſonarum ſalubriùs providet, aliaque diſponit & ordinat, prout rerum & temporum qualitas exigit, cauſa rationabilis ſuadet, & id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè nobis nuper innotuit quod dudum claræ memoriæ Rogerius Rex Siciliæ, volens terrena in cœleſtia felici commercio commutare, ſibi à Deo creditis in laudem & honorem omnipotentis Dei noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti, ejuſque inviolatæ matris Virgi-

nis Mariæ, & ad decorem, honeſtatem, & augmentum cultûs divini, de conſenſu, voluntate & beneplacito bonæ memoriæ Hugonis tunc Epiſcopi, ac Canonicorum Capituli Eccleſiæ Meſſanenſis, Monaſterium ſub voçabulo ſancti Salvatoris linguæ Phari extra muros Meſſanæ, Ordinis ſancti Baſilii, Mandram nuncupatum, quod mater omnium Monaſteriorum quæ ſub eo extant, erexit à fundamentis, & dotavit, decrevitque pro omni Epiſcopali jure ſolvere eandem Mandram Eccleſiæ Epiſcopali Meſſanæ, annuum cenſum, centum libras ceræ, viginti thuris, viginti caphiſos olei, & viginti nummos ſeu ſolidos, ſecundùm pactum & concordatum inter eoſdem Regem, Epiſcopum, Capitulum & Canonicos factum, quod Rex prædictus in cuſtodiâ & poteſtate ſui, & ſuorum ſucceſſorum accepiſſet, ſub hac conditione & pacto; videlicet quod cum Archimandrita in ipſo Monaſterio exigere deberet à toto Conventu, & illis Monachis pro tempore exiſtentibus ſecundùm ſacros Canones, ab eodem Rege, ejuſque hæredibus, & ſucceſſoribus confirmari, & caſu benedici debere, & quod dictum Monaſterium ab omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & ab omni perſonâ, tam eccleſiaſticâ

quàm ſæculari, unà cum Prælatis & ſucceſſoribus exemptum foret. Quodque dicta exemptio per Henricum & Fredericum Reges, ejus in dicto regno ſucceſſores, & poſt ſucceſſivè fuiſſent confirmata: ac felicis recordationis Alexander III. volens votis Regis annuere, Monaſterium ipſum ſub beati Petri ac ſuâ protectione ſuſcepit ac ordinavit, quod ibidem Ordo Monaſticus ſecundùm Ordinem ſancti Baſilii obſervaretur, & poſſeſſiones & bona quæcumque dicti Monaſterii, necnon obedientias & Abbatias, omnemque honorem, dignitatem, conſuetudinem, libertates, exemptiones, & privilegia, quas ſeu quæ dictus Rex eidem Monaſterio per privilegium ſuum conceſſerat; & ſi quis dictum Monaſterium interdicere auderet, illud, necnon libertates liberas & illibatas ſibi ſervare voluit: & ſucceſſivè felicis recordationis Innocentius III. ad Archimandritæ, Monachorum & Conventûs dicti Monaſterii ſupplicationem, ipſum Monaſterium ſpecialiter, ac ipſas obedientias, & cætera Monaſteria ſuffraganea, ab omni præſtatione Eccleſiæ, & perſonarum; itaque ex tunc in antea eſſent libera, exempta, & nulli aliæ Eccleſiæ, Diœceſano, Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel Locis Religioſis, vel aliquibus perſonis, niſi ip-

ſius Monaſterii Archimandritæ, reverenter de cætero in aliquo (excepto dicto cenſu Eccleſiæ Meſſanenſis juxta dictum privilegium) reſpondere liberavit, & exemit: ac felicis recordationis Joannes XXII. dictum privilegium in recordatione privilegii præfati Alexandri III. ante dictum Monaſterium ſub ſuâ & beati Petri protectione ſuſcepit: & in quibuſdam aliis litteris Monaſterium ipſum exemptum narravit, & illud ad Romanam Eccleſiam nullo modo pertinere, & omnia privilegia per prædeceſſores ſuos & Reges ante dicto Monaſterio conceſſa confirmavit, prout in dictorum prædeceſſorum noſtrorum litteris & privilegiis, quorum tenoribus de mandato noſtro priùs viſis & examinatis diligenter de verbo ad verbum ſignis, caracteribus, ſubſcriptionibus, duntaxat exceptis præſentibus, inſeri fecimus. Quamvis de hujuſmodi exemptione, ut præfertur, clarè conſtet, nihilominus quia felicis recordationis Honorius Papa III. etiam prædeceſſor noſter, materiâ quæſtionis inter quondam Nymphum Archimandritam, & Conventum dicti Monaſterii, & bonæ memoriæ Archiepiſcopum Meſſanenſem, ſuper juriſdictione & ſubjectione ac ſuperioritate dicti Monaſterii, & exemptione exortâ ad reclama-

tionem bonæ memoriæ Rogerii ſanctorum Coſmæ & Damiani S. R. E. tunc Diaconi Cardinalis, cui dicta cauſa in Conſiſtorio referenda inter dictas partes commiſſa fuerat, & in dicto Conſiſtorio facta: pro eo quod coram eodem bonæ memoriæ Cardinali dictum privilegium præfati Innocentii III. non fuit productum, prout ipſe Honorius teſtatur, de conſilio Cardinalium tunc exiſtentium ſtatuit & ordinavit quod confirmatio electionis Monachorum & Archimandritæ, benedictionis munus, necnon annua dicti Monaſterii viſitatio ab eis fienda, & procuratio, quoad Archiepiſcopum: correptio autem Monachorum & dicti Monaſterii, ad Archimandritam; ſed correptio Archimandritæ ad Archiepiſcopum, exceptâ diſpoſitione ejus, quæ ſummo Pontifici reſervaretur: in civilibus, Archimandrita & Conventus coram Archiepiſcopo reſpondere deberent, & ſingulis annis ipſe Archimandrita feſto ſanctæ Mariæ deberet accedere ad Cathedralem Eccleſiam in habitu ſolemni, excepto tunc uſu Mitræ; & ab Archiepiſcopo, Archimandrita & Monachi prædicti accipiant Sacramenta Eccleſiaſtica, eidemque perſolvant cenſum annuum, & quod requiſitus ad Synodum Archimandrita veniat,

& ſtatutis ibidem feſtis, quæ non eſſent contra probatum ritum Græcum, & Regulam ſancti Baſilii reciperet, & ſuper præmiſſis juraret obedientiam Archiepiſcopo; & in his & non aliis dictum Monaſterium interdicere non præſumeret, prout in litteris dicti Honorii deſuper confectis, quarum tenores habere volumus pro expreſſis, & ad hujuſmodi proviſiones dictus Nimphus Archimandrita, & aliqui poſt eum dicti Monaſterii Archimandritæ reverentiam & obedientiam dicto Archiepiſcopo fecerunt. Bonæ memoriæ Paulus Papa II. etiam prædeceſſor noſter, cùm ſuper hujuſmodi ſubjectione & exceptione, & ſuperioritate cujuſdam Petri tunc Archimandritæ dicti Monaſterii inſtantiam contra venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Meſſanenſem tunc Jacobum de Tudeſchis, dilecto filio Nicolao, tit. ſanctæ Cæciliæ Preſbyt. Cardinali audientiam commiſit, & fine debito terminandam: ipſeque Cardinalis in ea procedens definitivam ſententiam deſuper prædicto Archiepiſcopo, & contra ſupradictos, Petrum fortaſſe, Paulum Archimandritam, Monachos & Conventum dicti Monaſterii promulgavit, à quâ pro Archimandritæ & Conventûs parte appellato, cauſa dictæ appellationis bonæ

memoriæ Ricardo Epiſcopo Albanenſi Cardin. Conſtant. nominato extitit commiſſa, qui in eâ etiam contra dilectum filium Leontium poſt obitum dicti Petri ipſius Monaſterii Archimandritæ factum procedens, dictam ſententiam cum expenſarum condemnatione aliam ſententiam ſuam confirmavit, à quâ appellato & certo termino ad conſequendam dictam appellationem præfixo, cauſâque appellationis dilecto filio noſtro Oliverio tit. S. Euſebii Preſbyt. Cardinali, poſt lapſum dicti termini extitit Commiſſarius, qui expenſas in dictâ cauſâ pro parte dicti Archiepiſcopi Jacobi, ex ſpeciali commiſſione taxavit, & litteras executoriales deſuper decrevit, quæ executioni nondum ſunt traditæ: quarum ſententiarum & totius proceſſûs deſuper facti, & ſuper nominatarum omnium & ſingularum tenores, ac ſi de verbo ad verbum intexerentur, habemus pro expreſſis. Cùm autem tempore, quo dictus claræ memoriæ ROGERIUS REX ante dictum Monaſterium, cùm illud, ut præmittitur, conſtruxit, ædificavit, fundavit, & Capitulo Eccleſiæ Meſſanenſis ibidem præſentibus, volentibus, & conſentientibus, ab omni eorum & cujuſlibet, & alterius Prælati & ordinarii ſuperiorum, exemptum eſſe voluerit:

& poſt ejus obitum, alii dicti regni Reges dictam exemptionem, ut prænarratur, confirmarunt, necnon recolendæ memoriæ Calixtus III. dictum Monaſterium ab omni juriſdictione, ſuperioritate & dominio Archiepiſcopi Meſſanenſis & aliorum Ordinariorum totaliter exemiſſet, & illud ſub ſuâ ac B. Petri protectione ſuſcepiſſet, & alia feciſſet, prout in litteris ejuſdem prædeceſſoris deſuper confectis continetur.

NOs præmiſſa conſiderantes, & nolentes, prout non velle debemus, quod deſidiâ, negligentiâ, ſeu ignorantiâ Archimandritæ, Monachorum & Conventus ejuſdem Monaſterii tunc exiſtentium, antedictum privilegium Innocentii, coram dilecto felicis memoriæ Honorio, ſeu coram dicto Commiſſario non fuit productum ad ſubjectionem dicti Archiepiſcopi, Canonicorum & Capituli ipſius Eccleſiæ Meſſanenſis, prætextu dictarum ordinationum Honorii, & ſententiarum ſucceſſivè latarum redire debeat; cum non ſit veroſimile quod dictum privilegium Innocentii Papæ III. coram dicto Honorio III. ſupradictoque ipſius Commiſſario productum fuiſſet, ideo prædictas ſententias ac ſtatum cauſæ & tenorem ſententiarum ac proceſſuum deſuper habitorum, ac cau-

ſam ipſam, ſi qua ſit, ad nos hanc ſeriem advocantes, & huiuſmodi litem penitus extinguentes, propitioris cautelæ ſuffragio, pro expreſſis habentes, motu proprio, non ad ipſius Leontii Archimandritæ, Monachorum & Conventûs, pro eis ſuper hoc collatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera liberalitate & ex certa ſcientia, ordinationis REGIS ROGERII exemptionem, liberationem, ac ſingulas Innocentii, Alexandri, Joannis, Clementis & Calixti prædictorum literas, cum omnibus & ſingulis approbamus, & perpetuum robur obtinere decernimus; & nihilominus Monaſterium ipſum cum omnibus & ſingulis juribus & pertinentiis ſuis, membris & Abbatiis, ac Archimandritam, Monachos & Conventum ejuſdem Monaſterii ab omni juriſdictione, ſuperioritate, ſubjectione, ac poteſtate Archiepiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Meſſanenſis, & quorumcumque Ordinariorum præcedentium & futurorum eximimus & liberamus, necnon à collectis & ab exactionibus, oneribus, gravaminibus contra ſacrorum Patrum Decreta impoſitis hactenus aut decætero imponendis, necnon ab illorum collectoribus & exactoribus ad hujuſmodi collectionem & impoſitionem quamlibet deputatis aut deputandis Officiali-

bus pro iſtis, eximimus & totaliter liberamus, ac illud, illas aut illa ſub B. Petri, noſtrâ & Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus, ita quod de cætero Archiepiſcopi & Ordinarii alii, ratione etiam delicti ſupradicti, ſeu contractûs, aut rei de quâ agitur, ubicumque committatur delictum, contractus, vel res ipſa conſiſtat, nullam poſſint in Archimandritam, Monachos & Conventum, Miniſtros, perſonas, Monaſterii membra, loca & bona prædicta, (utpotè prorſus omnino exempta, & nobis & dictæ Sedi immediatè ſubjecta,) ſeu juriſdictionem aut poteſtatem aut aliquod dominium exercere, necnon ab eis ratione in poſterum collectarum & ſubſidiorum hujuſmodi quidquam petere, exigere, recipere vel levare, niſi cenſum duntaxat Eccleſiæ Meſſanenſi debitum, non obſtantibus quibuſcumque ſententiis & aliis contra hujuſmodi exemptionem & privilegia attentatis, quæ pro nullis & infectis haberi volumus. Ac recolendæ memoriæ Innocentii III. Papæ etiam prædeceſſoris noſtri, circa exempta, quæ incipit *Volentes*, & aliis Conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque derogamus. Volumus autem quod Archimandrita dicti Mona-

ſterii pro tempore exiſtentis, ſingulis annis unum Florenum de Camera in recognitionem ſubjectionis Sedis Apoſtolicæ hujuſmodi pro annuo cenſu ejuſdem Cameræ ſolvere teneatur.

1586. # BULLA SIXTI V.

Ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem.

Confirmation des droits des Rois de Sicile ſur les Egliſes de ce Roiaume.

SIxtus Papa V. Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quam tua Majeſtas erga nos & Romanam Eccleſiam gerere comprobatur, necnon eximia ſingulariſque fidei tuæ conſtantia, quâ veluti fortiſſimo chriſtiani nominis propugnaculo pro æterni Regis gloria quam præ oculis ſemper habes, univerſam chriſtianam Rempublicam, non ſolùm ut Catholicum decet Principem tueri, ſed ſummo ſtudio latiùs extendere & propagare contendis, in noſtro & apoſtolicæ Sedis conſpectu adeo ſplendeſcere noſcuntur, ut non immeritò illa tibi, tuoque chriſtianiſſimo nato Hiſpaniarum Principi favorabiliter concedenda fore cenſeamus, per quæ & facilè ab omnibus cognoſci poſſit, nos tui honoris,

honoris quem ſemper plurimi fecimus,& Deo dante in poſterum faciemus, condignam habuiſſe rationem;& tu ipſe dictuſque Princeps aliis magis gratioſos vos exhibere valeatis. Nos igitur ex præmiſſis & cæteris aliis cauſis animum noſtrum moventibus, felicis memoriæ Clementis VII. Papæ prædeceſſoris noſtri, qui claræ memoriæ Carolo V. Romanorum Imperatori, tunc in humanis agenti genitori tuo, ob ejus præclara de eâdem Sede merita, de tunc exiſtentium fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio jus Patronatûs & præſentandi perſonas idoneas ad Cathedrales & Metropolitanas Eccleſias in Siciliæ ultra Pharum & Sardiniæ regnis & Inſulis quorum Rex & Dominus in temporalibus idem Carolus Imperator exiſtebat, conſiſtentes, quoties illas vacare contigerit, quamdiu idem Carolus Imperator viveret, reſervavit atque conceſſit, prout in ipſis prædeceſſoris litteris deſuper confectis pleniùs continetur, veſtigiis inhærendo, ac providè attendens quod tu qui Siciliæ & Sardiniæ regnorum Rex exiſtens, non minoribus meritis quàm prædictus genitor, in noſtro & ejuſdem Sedis conſpectu præfulgens; ac indubiè ſperantes quod dilectus filius nobilis puer Philippus Hiſpaniarum Princeps,

natus tuus, gratiâ ſibi aſſiſtente divinâ, pii & Catholici Regis imbutus doctrinâ, paternaque & avita ſequens exempla, paribus etiam præfulgebit meritis; te ac Philippum Principem prædictum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, habitâ ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris ejuſdem S. R. E. Cardinalibus, maturâ deliberatione, de illorum conſilio & aſſenſu, & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tibi quamdiu vixeris, & deinde Philippo Principi præfato, etiam quamdiu vixerit, jus patronatûs & præſentandi perſonas idoneas nobis, & pro tempore exiſtentibus Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris, ad Cathedrales & Metropolitanas Eccleſias, & quæcumque Monaſteria etiam Conſiſtorialia in Siciliæ ultra Pharum & Sardiniæ Regnis prædictis ac illorum Inſulis conſiſtentia, quoties illas quibus modis, ac ex quorumcumque etiam S. R. E. Cardinalium perſonis vacare contigerit, apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus, & aſſignamus, decernentes quaſcumque proviſiones & alias diſpoſitiones de Eccleſiis & Monaſteriis prædictis, aliis quàm tuis, quamdiu vixeris, & poſt tui obitum, ejuſdem Principis præſentationibus, ſeu expreſſo conſenſu pro tempore quomodolibet fa-

ciendas, & inde ſecuta quæcumque nulla & invalida, nulliuſque roboris vel momenti fore, & eſſe irritum quoque & inane quidquid ſecùs ſuper his à quacumque authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, nonobſtantibus quibuſvis generalibus vel ſpecialibus Cathedralium, etiam Metropolitanarum Eccleſiarum, ac Monaſteriorum prædictorum reſervationibus vel affectionibus, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis vel edendis, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, necnon Eccleſiarum & Monaſteriorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, & litteris apoſtolicis etiam quaſvis clauſulas & reſervationes in ſe continentibus, per eoſdem prædeceſſores, & nos, & Sedem eandem quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, & concedendis, confirmandis & innovandis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, ſpeciali, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda

aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret ; illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, & formâ in illis traditâ obſervatâ inſererentur & exprimerentur, præſentibus proplane & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ac vice dumtaxat harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Per præſentes autem juris patronatus, ſi quod tibi competit, ſeu eidem Philippo Principi competere poterit, ad Metropolitanas & alias Cathedrales Eccleſias, ac Monaſteria prædicta Sicilíæ & Sardiniæ Regnorum, hujuſmodi ratione illorum fundationis ſeu recuperationis à manibus inimicorum, vel per privilegia apoſtolica, quæ nihilominus valere, & in ſuo robore permanere volumus, aliquid innovare ſeu minuere non intendimus, cùm intentionis noſtræ ſemper fuerit & ſit, Majeſtatem tuam novis favoribus proſequi, non autem ea tollere quæ ſui juris ſunt. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die decimâ Septembris 1586, Pontificatûs noſtri anno ſecundo. Thomas Thomaſius Gualtirutius, Cariſſimo in Chriſto filio noſtro Hiſpaniarum Regi Catholico.

BULLA CLEMENTIS VII.

CLemens &c. Si ea quæ per Pontifices, præsertim Catholicis Regibus ob eorum erga Catholicam Sedem præclara facinora, pro eorum & successorum suorum decore & honoris incremento concessa fuisse dicuntur, plenam obtinent roboris firmitatem; illis tamen quandoque robur nostræ approbationis & innovationis adjicimus, ut eò firmiùs illibata persistant, quò sæpiùs fuerunt apostolico præsidio coumunita; eaque & de novo eisdem Regibus concedimus, ut ipsi in eorum solita devotione erga Sedem apostolicam, & sanctam Ecclesiam eorum matrem frequentiùs perseverent, prout in Domino conspicimus salubriter expedire: sanè cùm diversi Romani Pontifices prædecessores, antiquis & modernis temporibus, claræ memoriæ Ferdinando Regi, & Elisabethæ Reginæ, & aliis Castellæ, & Legionis, ac Arragonum regnorum Regibus, eorum prædecessoribus, necnon carissimo in Christo filio nostro Carolo Quinto Imperatori semper augusto, dictorum regnorum Regi, ejusque in dictis regnis successoribus, jus patronatûs præsentandi personas idoneas

1529. Elle confirme à Charle-quint les Privileges accordés à ses prédecesseurs.

ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias, & quæcumque Monasteria consistorialia pro tempore quovis modo vacantia & vacatura, tam motu proprio, quàm certâ scientiâ ac potestatis plenitudine, ratione illorum fundationis ac recuperationis earumdem de manibus Infidelium, & ex diversis aliis causis, per diversas eorum litteras concesserint, prout in illis pleniùs continetur; nos autem revolventes quæ his calumniosis temporibus, & quæ præclarè & salubriter Carolus ipse Imperator gesserit, qui his procellis quibus omnia erant inclusa, novum quasi sidus effulsit; nec enim in Italiam se contulit eâ quidem mente ut Coronâ, infulisque imperialibus à nobis insigneretur, sed ut Italiæ languenti & assisteret, & per tot annos bello, fame, peste laboranti opem ferret, totidemque christianæ Reipublicæ ob incrementum Turcarum, exercitui maximo in discrimine versanti suis omnibus & viribus & copiis consuleret. Quapropter ipsum digniſſimum judicamus ut quæcumque per prædecessores nostros eidem Carolo suisque majoribus & successoribus concessa & largita fuerunt, ea approbare, innovare & Apostolicæ Sedis robore stabilire. Hinc igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Car-

dinalibus maturâ deliberatione, & de eorum consilio & unanimi consensu, singulas litteras prædictas quarum tenores haberi volumus pro expressis, tam concessione juris patronatûs, præsentandi personas idoneas ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias, necnon quæcumque Monasteria consistorialia in prædictis regnis consistentia, ac omnibus aliis in eis contentis clausulis, tenore præsentium approbamus, innovamus & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere decernimus; necnon potiori pro cautela jus patronatûs, & præsentandi personas idoneas ad Cathedrales & Metropolitanas Ecclesias, ac quæcumque Monasteria consistorialia in Castelle, & Legionis, Arragonum & Valleolit, necnon Cataloniæ, & ubi aliter jus præsentandi non competebat, in cæteris Hispaniarum regnis ac dominiis respectivè consistentes & consistentia, quoties illas & illa, quovis modo & ex quacumque etiam eorumdem Cardinalium persona, præterquamquod illa Monasteria, in quibus de novo eidem Carolo Imperatori, ejusque successoribus jus patronatûs conceditur, videlicet eo casu quo in dicta Curia vacare conti-

gerint, de ſimili conſilio & aſſenſu de novo concedimus : decernentes jus patronatûs & præſentandi hujuſmodi illius naturæ & efficaciæ exiſtere, & quoad omnes effectus ejuſdem juris cenſeri debere, cujus jus patronatûs ex fundatione & dotatione Regum exiſtit, ac reſervationis, affectionis, unionis, mandata de Eccleſiis & Monaſteriis hujuſmodi per Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes facta ne præſentare poſſint, nullatenus ſe extendere, ſed illa invalida penitus exiſtere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoque, quavis authoritate apoſtolica, & per nos ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, nonobſtantibus quibuſvis Eccleſiaſticis de Cathedralibus, & Metropolitanis ac Monaſteriis conſiſtorialibus hujuſmodi per nos & Sedem prædictam pro tempore factis reſervationibus, ſeu affectionibus ſpecialibus vel generalibus, necnon & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis & pro tempore edendis, & quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, & Eccleſiarum & Monaſteriorum hujuſmodi ſtatutis & conſuetudinibus, juramento, confirmatione apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & indultis, ac litteris apoſtolicis per eoſdem præde-

ceſſores conceſſis eidem, & per illos ac nos ſuper renovatione juris patronatûs, & præſentandi Eccleſias, & Conſiſtorialia Monaſteria, & alia quæcumque Beneficia hactenùs de eorumdem fratrum conſilio, & unanimi conſenſu ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialibus, ſpecificâ, individuâ, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, vel aliqua exquiſita forma ſervanda eſſet, illorum tenores præſentibus expreſſis & inſertis, habentibus illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, ac vice duntaxat ac ſpecialiter & expreſſè derogamus. Cæteriſque contrariis, &c. Nulli, &c. Datum Bononiæ, 3 Idus Martii, Pontificatûs noſtri anno ſeptimo.

Bulla Urbani Papæ VIII. 1625.

URbanus Papa VIII. Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Orthodoxæ fidei conſervandæ & propagandæ zelus ac ſingularis erga nos, & hanc ſanctam Sedem devotio, aliaque Catholici cognomine optimo jure inſigniti, Regis præclara merita quæ in majeſtate tuâ cœle- Idem.

ſti gratiâ refulgent, planè exigunt ut illi ad gratiam reddamur liberales. Cùm itaque claræ memoriæ Philippi II. & III. Hiſpaniarum catholicorum avi & genitoris, aliorumque majorum tuorum exemplo Chriſtianæ Reipublicæ utilitati inſervire, non ſolùm Catholicæ Fidei defenſioni, ſed illius etiam propagationi totis viribus incumbere deſiderans, adeo ingentia expenſarum onera ſubieris, ut non ſolùm regnorum tuorum ordinarios & extraordinarios reditus, verùm etiam omnia illorum aëraria ferè exhauſeris. Nos ad egregia utriuſque Philippi Regis avi & genitoris, aliorumque majorum tuorum, tuaque propria merita hujuſmodi paternæ dirigentes conſiderationis intuitum laudabiles & Deo maximè gratos conatus tuos, quantùm nobis ex alto conceditur, adjuvandos duximus. Motu itaque proprio ex certâ ſcientiâ ac maturâ deliberatione noſtrâ, deque apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tibi omnes & ſingulos fructus, reditus & proventus, jura, obventiones & emolumenta, in quibus etiam penſiones annuas, quantumvis liberas, immunes & exemptas, quas de cætero ſuper illis apoſtolicâ authoritate reſervatis contigerit, comprehendi volumus, unius integri menſis à die poſſeſſionis infra-

ſcriptos portionarios, necnon proviſos præfatos, ſeu inſtitutos de Eccleſiis, ſeu de aliis beneficiis infrà expreſſis habitæ, ſeu quâ per eos ſteterit, quominùs poſſeſſionem hujuſmodi adipiſcantur, computandi proportionaliter ad ratam anni & veri annui valoris, deductis oneribus quarumcumque Primatialium, Metropolitanarum, & Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium, & aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum, Menſarumque Abbatialium, Prioratuum quoque, Præpoſiturarum, Præceptoriarũ, Dignitatum etiammajorum & principalium, Canonicatuum & Præbendarum, Perſonatuum, adminiſtrationum, Officiorum, cæterorumque beneficiorum eccleſiaſticorum cum curâ, & ſine curâ; quo verò ad ſimplicia, quorum fructus, reditus & proventus valorem annuum viginti quatuor ducatorum auri de Camerâ non excedunt, necnon ſancti Benedicti & Auguſtini, Cluniacenſium, Ciſtercienſium, Præmonſtratenſium, ac quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, necnon Militarium, præterquàm Sancti Joannis Hieroſolymitani, cæterorumque locorum etiam exemptorum in regno Siciliæ ultrà Pharum, & de tuo jure patronatus, ſive ad nominationem tibi legitimè competentem diſponi ſolitorum tan-

tùm exiſtentium, de quibus quovis modo, & per tranſlationem vacaturis quaſcumque perſonas, quâvis, etiam Cardinalatûs dignitate fulgentes, ad præſentationem, ſeu nominationem tuam præfici, vel provideri, ſive illas in eis quomodolibet inſtitui, ſeu quibus penſiones ipſas reſervari contigerit, ut profertur, per perſonas in dignitate eccleſiaſticâ à venerabili fratre Moderno, & pro tempore exiſtente, Archiepiſcopo Panormitano ad hoc ſpecialiter deputandas à quibuſcumque Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Præceptoribus, Canonicis præbendatis, Rectoribus, & Perſonis Sæcularibus & Regularibus, & Militarium hujuſmodi, necnon Penſionariis prædictis cujuſcumque dignitatis, etiam Cardinalatûs & conditionis, fuerint percipienda, exigenda & levanda, tibique integrè perſolvenda, tenore præſentium concedimus, aſſignamus, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, 13 Aug. 1625, Pontificatûs noſtri anno 2.

GUILLELMUS REX, *Anno 1156, inter ea quæ pactus est cum Adriano VI, ait.*

Narration de Pyrrhus Rochus dans son livre intitulé : *Sicilia sacra*, qui sert à justifier le titre & la possession de la Monarchie.

SI de Siciliâ personas aliquas Ecclesiastici Ordinis vocaverit magnificentia nostra, nostrorumque hæredum pro Christianitate faciendâ, vel pro suscipiendâ Coronâ, remoto malo ingenio, retinebit, quas providerit retinendas ; cætera quoque ibidem habebit Romana Ecclesia, quæ habet in aliis partibus regni nostri, *exceptâ Appellatione & Legatione*, quæ nisi ad petitionem nostram, & hæredum nostrorum, ibi non fiant. *Hîc perpende primò, eadem ferè verba apponi, quibus usus est Urbanus II. in allato Diplomate quo Legationem istam instituit. Secundò, non eadem petivisse Guillelmum pro Apuliâ & Calabriâ, quæ pro Siciliâ, quod inde profectum statim quis avertat, quod jus aliquod ex præteritorum Pontificum privilegiis haberet in iis rebus.*

Guillelmo secundo Regi ab Alexandro tertio ex Diplomate 19 *Kal. Febr. anni* 1174. *Pontif. anno* 16. *hæc inter alia conceduntur.*

Si verò Abbas de aliquo fuerit accusatus, vel impeditus, cum consensu tuo

& hæredum tuorum, à perſonis eccleſiaſticis & diſcretis ac idoneis ejus regni, cauſa ejus tractetur, diſcutiatur & terminetur, *atque eâ authoritate Monachorum ac Monialium cauſas diſcuſſiſſe, ac eorum pœnas decreviſſe Reges, invenire eſt ſæpe in libris Regiæ Cancellariæ, ac Regiæ Monarchiæ, ac in iis noſtris notitiis.*

» Reges inde Siculos per alios, ſive » ſummos regiæ aulæ Cancellarios, ſive » Præſules, ſive utriuſque Juris Doctores » Laïcos, cauſis appellationum demanda- » tis, eo Legationis munere perfunctos » eſſe lego.

» Demandavit Martinus Capitaneo ci- » vitatis Pactarum, ut ſubortam litem de » juriſdictionibus & juribus oppidi Sancti » Salvatoris inter Epiſcopum Pactenſem » & Abbatiſſam ejus oppidi, ipſe compo- » neret. Demandavit & aliis, ſed quia ob- » via facilè ſunt exempla, omitto.

» Cùm abeſſent è Siciliâ Reges, deman- » darunt eorum nomine Proreges eccle- » ſiaſticas quæſtiones in cauſis appellatio- » num.

» Sub Ferdinando I. anno 1413, cauſa » appellationis à Curiâ Panormitani Ar- » chiepiſcopatûs inter Monaſterium San- » ctæ Catharinæ Panormi, ac Procurato- » rem Sanctæ Trinitatis Manſionis, de- » mandatur Antonio Demandiro Canoni-

co Panormitano ; & anno 1416, Cano- «
nico Mazarienſi, ac Vicario Monte Re- «
galenſi. «

Joanni de Piſano demandata eſt de- «
ciſio quæſtionis Archiepiſcopi Panormi- «
tani Ubertini, &c. «

Sub Alphonſo, anno 1424. Antonio «
Carbonio poſt Reynerio de Mauro & «
Dominico Ram. U. J. D. ſacræ conſcien- «
tiæ Judici demandatæ ſunt cauſæ eccle- «
ſiaſticæ appellationis ; ſed ad ſuſtinen- «
dam Legationis Apoſtolicæ dignitatem «
conſtitutum eſt his verbis, *Ut ubi com-* «
miſſiones fieri debeant perſonis eccleſiaſticis, «
non fiant exinde minoribus gradu eccle- «
ſiaſtico, quàm Canonicis. Quare Alphon- «
ſus eas ſæpiſſimè demandavit Nicolao «
de Tudeſchis Abbati Panormitano ; Ab- «
bas ſic loquitur. «

Chriſti nomine invocato, Amen. Nos Nicolaus de Tudeſchis, Abbas Maniacenſis & Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, unus ex Regiis Conſiliariis, ac Commiſſarius delegatus in hâc causâ appellationis interpoſitæ per Fratrem Salvum, aſſertum Abbatem Monaſterii Sanctæ Mariæ Montis-majoris, ad Sedem Apoſtolicam deputatus per illuſtriſſimum Principem dominum Alphonſum Regem Arragonum, Siciliæ, &c. loco Romanæ Curiæ ut eidem Prin-

cipi ac poteſtas in hâc parte competit ex privilegiis ſummorum Pontificum, & ex antiquiſſimâ conſuetudine in quæſtione vertente inter R. Patrem D. Epiſcopum Cephaludenſem, actorem & appellantem ex unâ, & dictum Fratrem Salvum, conventum & appellatum parte ex alterâ, & terminatâ per venerabilem virum Franciſcum de Urſone, Vicarium R. Patris DD. Archiepiſcopi Panormitani Commiſſarium & Delegatum in hâc causâ per ſanctum Patrem dominum Eugenium PP. IV. &c. Datum Meſſanæ 22. Decembris 1429.

» Eidem Nicolao, tunc Archiepiſcopo
» Panormitano, anno 1435. demandata
» eſt cauſa appellationis Archidiaconatûs
» Meſſanenſis inter Jacobum de Porco &
» Baptiſtam de Riſico: aliquando Archie-
» piſcopo Meſſanenſi, ſcilicet cauſa appel-
» lationis Abbatis Sanctæ Mariæ de Mili.

» Cauſæ ergo Eccleſiaſticæ, ſive appel-
» lationis à Metropolitanis, aliiſque Cu-
» riis ſummo Pontifici immediatè ſubjec-
» tis, *ſive per viam gravaminis*, tum à præ-
» dictis Curiis, tum etiam ab *Epiſcopali-*
» *bus* Siciliæ & Inſularum adjacentium;
» ſive demum *per viam exceſſûs* tantum à
» quibuſvis Legationem Apoſtolicam in
» Siciliâ obeuntibus poſt memoratum Re-
» gis decretum ad annum uſque 1570 cir-

citer à Proregibus demandari ſolebant, « viris in eccleſiaſticâ dignitate conſtitutis. Quod ſi legum periti non eſſent, volebant ut ſententiam ferrent cum ſuffragio vel alicujus U. J. D. vel Judicis M. R. C. vel ſacræ conſcientiæ, eà prorsùs ratione quâ nunc cauſas appellationis à Judice hujus Legationis Apoſtolicæ ordinario demandat Prorex. Ita leges cauſam Archipreſbyteratûs Randatii demandatam loco *Romanæ Curiæ*, fratri Joanni Mazzæ S. T. M. cum voto Antonii de Bonajuto U. J. D. «

Jam verò ab anno 1570 circiter, Pio quinto rem promovente per Cardinalem Alexandrinum Legatum conſtitutus eſt Judex ordinarius *(Qui Judex Regiæ Monarchiæ dicitur)*, is vero debet eſſe in Dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutus. Deligitur autem à Rege, ſed ſufficitur aliquis à Prorege, ſi ille vel obeat, vel in ſuſpicionem veniat, ob quam Judex ſedere in quæſtione aliquâ haud poſſe videatur : & Judici dati ſunt proventus Abbatiæ Sanctæ Mariæ Terranæ de jure patronatûs regio. Non pigebit nunc ordine recenſere quotquot hactenùs, hujuſmodi fuere Judices ; nam ad rem meam pertinet : ſæpe ad hunc Judicem diſceptanda veniunt, quæ ad Antiſtites ſpectant.

CATALOGUS

Judicum ordinariorum Legationis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ, ex Tabulis authenticis, à Roccho Pirro adornatus in Libro cui titulus, Sicilia ſacra.

Ce Catalogue établit une poſſeſſion conſtante du droit des Rois de Sicile; on peut y ajouter les autres Juges depuis le dernier dont il eſt fait mention dans ce Catalogue.

NICOLAUS STIZIA, utriuſque Juris conſultiſſimus Catanenſis, vir ex nobili familia ortus, Regius Capellanus, cui ut in dignitate eccleſiaſtica eſſet, data eſt Abbatia ſancti Philippi de Grandis Ordinis ſancti Baſilii, ex litteris regiis ac apoſtolicis Gregorii XIII. Romæ 8 Kal. Martii 1579, Judicem agere cœpit 18 Martii ejuſdem anni 1579, Abbatia Novæ Lucis, anno 1591, Archimandritanus Meſſanæ, 1593, Epiſcopatus Cephaludenſis, ei collata ſunt. Ferunt cùm coram Pontifice ſiſteretur ad examen, ab eo primum interrogatum: *Quæ eſt Monarchia, cujus munere in Siciliâ es perfunctus?* reſpondiſſe verò, *illa quam præceſſores Sanctitatis veſtræ Principibus Siculis conceſſêre.* Obiit Nicolaus 17 Februarii 1595.

JOANNES DE GRADO Hiſpanus Adi-

censis U. J. D. cui Abbatia sancti Philippi de Grandis juxta Messanam, ex nominatione Regis Philippi II. confirmatione Gregorii XIII. Romæ Kal. Decembris 1583. Data est anno 1584, mense Julio à Comite Albelistensi Prorege eligitur ejusdem Proregis Consultor. Anno 1587 obiit.

Franciscus Bissus S. T. D. Metropolitanæ Ecclesiæ Panormitanæ-Cantor, ab eodem Comite Albelistensi, cujus erat Magister ceremoniarum, sufficitur Judex Regiæ Monarchiæ ordinarius; eo munere perfunctus est ad annum 1589.

Emanuel Quero de Carillos Hispanus U. J. D. ex litteris regiis apud S. Laurentium, 10 Augusti 1599. & ei dati sunt proventus Abbatiæ sanctæ Mariæ Terranæ à Comite Albadelista anno 1592, die 2 Aprilis, eligitur Proregis Consultor. Anno 1597 ad Episcopatum Cephaludensen invehitur iterum.

Franciscus Bissus à Joanne de Vigintimillio, Marchione Hieracensi, regni Præside, deligitur ob Emanuelis promotionem ad Episcopatum.

Joannes Torres de Osorio Hispanus, Oppidi Callaris, U. J. Licentiatus. Scriptis litteris regiis 16 Novembris 1596, data est ei Abbatia de Terrana; anno 1613, Syracusanæ, 1619 Catanen-

ſi, 1624 Olevitanæ in Hiſpania, 1627 Valliſoletanæ, anno 1632 Malacitenſi, Eccleſiis præficitur: eodem anno obiit, die 18 Auguſti.

Joannes Nanclares Hiſpanus eo manere ad annum 1614. 16 Februarii perfunctus eſt, ex electione Ducis Oſſunæ Proregis, à cújus Sacello erat.

JOANNES DE VALDIVEXO RUIZ, U. J. Licentiatus, Hiſpanus, eligente Philippo III. ex litteris 4 Maii 1613. fuerat is à conſiliis Proregis in Regno Neapolitano, *Caput Rotæ*, frater Petri Ruiz de Valdivexo Archiepiſcopi Meſſanenſis. Antequam ad hujus muneris capeſcendam poſſeſſionem veniret, Romam adívit, & uti Judex Regiæ Monarchiæ electus, pedes Pauli V. deoſculatus eſt, ab eo Pontifice benedicitur, atque litteras apoſtolicas confirmationis Abbatiæ Terranæ ſibi collatæ conſecutus eſt, datas XII. Kal. Decembris 1614. Eodem anno ob ſuſpicionem à Duce Oſſunæ Prorege alius Judex ſufficitur. En illud: *Die 6 Decembris, XIII. Indict.* 1614. *ex quo pactum in Actis M. R. C. die octava Octobris proximè præteriti, de ordine Excellentiæ ſuæ fuit datus ſuſpectus R. D. Joannes de Valdivexo, Judex R. M. R. D. Felici novello Archimandritæ Meſſanenſi; ideo ſtante ſupradicta ſuſpicione ſuâ,*

ex motu proprio providet & mandat referente Antonio Albigiano R. A. P. quod in omnibus cauſis & negotiis dicti R. Archimandritæ & Diœceſis, tam activis quàm paſſivis, tam motis quàm movendis, tam coram R. de Valdivexo, quàm coram aliis loco dicti R. de Valdivexo, & aliorum datorum ob ſuſpicionem prædictam, ſit Judex R. V. J. D D. Ferdinandus Mattienſo, Decanus Agrigentinus, & Inquiſitor hujus Regni; unde &c. Abbas fuit Lo. ſanctæ Catharinæ Linguæ groſſæ, ac ſanctæ Mariæ de Caſtania; ſed dum Paulus de Angelis contenderet ad ſe id Monaſterium ſpectare, *Ego Judex MonarchiæRegiæ* in ea re conſtitutus ſum à Comite Caſtrenſi Prorege, anno 1618. die ſecunda Maii; ita in cauſa Vicariatûs Meſſanenſis Joannis Veles ejus nepotis. Hic Joannes triremibus vectus in Hiſpanias, juxta Januam in eis anno 1624. obiit, cujus deceſſu

Martinus Vivancus Hiſpanus U. J. Licentiatus, regius Capellanus, in cauſis fidei claſſis regiæ Quæſitor, Alcantræ Eques, ac ſummus Principis Philiberti à quo electus eſt Judex Sacellanus, cùm è Regno in Hispanias diſcederet.

Franciſcus Matute, Compoſtellenſis Archidiaconus, Hiſpanus, Ferdinandi Matute Conſultoris frater, à Cardinale

Doria Archiepiſcopo Panormitano tunc Regis locum tenente, eligitur.

Petrus de Neyla, J. U. D. Hiſpanus de Soria, oppidi Gallinarii, Eques militiæ ordinis Calatravæ, ex litteris Philippi IV. datis Madriti 10 Julii 1625. exſcriptis Panormi 21 Junii, cum reſcripto apoſtolico pro Abbatia Terranæ, dato Romæ X. Kal. Julii anno 1627. Petrus cum tranſmiſiſſet Meſſanam Apparitorem, ſive ut vocant, Ponterium, ut Antonium Coffum Preſbyterum Randacencem in carcere conſtitutum à judicio Archiepiſcopi Meſſanenſis, avocaret ad Tribunal Regiæ Monarchiæ; (ad eam per ſupplices libellos ille accurrerat,) evenit ut is Antonius coram Monarchiæ Apparitore in carcere Archiepiſcopali occideretur: ſed ſtatim quæſtio ſuborta eſt, an de eo homicidio judicium ad Archiepiſcopum ſpectaret, per C. 20. Seſſ. 24. *Cauſæ omnes*; an ad Judicem Regium, minor cui illata videbatur injuria, res delata eſt ad Regem uti Legatum: Decretum ab illo eſt, ut deſignaret Prorex Judicem eccleſiaſticum in hac re, qui tamen ferre ſententiam debeat cum ſuffragiis Joannis Baptiſtæ Blaſci M. R. C. Lucii Dentis, Conſiſtorii Præſidum, Ferdinandi Matuti Conſultoris Proregis, & U. J. D. Petri de Blaſio: ſed tandem

decretum eſt pro Regiæ Monarchiæ Judice; fuit Neyla, à Duce Albuquerquo Prorege anno 1628, Decembri menſe, cum diſceſſiſſet Matute, delectus Conſultor, quo munere adhuc fungitur.

Judex ergo Monarchiæ in Sicilia pro regio decreto *Reverendiſſimi* titulo cohoneſtatur, in ſubſidium ad dignitatem Judicatûs tuendam, ac ut in dignitate eccleſiaſtica ſit conſtitutus, uti juris eſt, ab anno 1579. ad annum 1589. data eſt Abbatia S. Philippi de Grandis, ut dixi; ob tenues tamen illius annuos proventus, ab anno 1589. alia uberior ſanctæ Mariæ Terranæ, cujus proventus annui eſſe ſolent ſcilicet 1500. unita fuit. Subeſt ſpolio, ſed ad collectarum regiarum ſolutionem non teneri contendêre Judices, quia Abbatiæ reditus in ſubſidium ſunt dati. Sedem in publicis Proregis & Magiſtratûs regii actionibus non habent; cùm verò à Prorege in aliqua decidenda cauſa deputati ſunt Judices, cum cæteris delegatis Judicibus poſt Præſides ac Proregis Conſultorem ſedent, ſuos non habent adminiſtros, videlicet Mag. Notarium, Commiſſarios, &c. ſed iis ſemper uſi ſunt quibus Tribunal Conſiſtorii atque Judices delegati. De Judicum Regiæ Monarchiæ munere capitula præſcripſit Marcus Antonius Columna Pro-

rex anno 1583. 17 Junii, XI. Indict. quæ in libro Proreg. eo anno leges.

Ex hoc Apoſtolicæ Legationis munere, jus etiam Siculis Regibus ſemper fuit viros in Eccleſiaſtico Gradu ac Dignitate conſtitutos eligendi Viſitatores, qui in Catalogum referant Eccleſiarum privilegia ac tabulas, cæteraque hujuſmodi, ad tuenda ſcilicet bona earum Eccleſiarum, quæ ad Jus Patronatûs Regium pertinent.

CATALOGUS

VISITATORUM, Bonorum Eccleſiarum Juris Patronatûs Regii. Ex eodem Rocho Pirro ibid.

VISITATOR REGIUS in hâc re conſtitutus eſt à Ferdinando II. Rege Catholico, uti narrat Philippus II. in litteris ſuis, quasleges in fol. 1. Viſitationis Jacobi Arnedi.

PETRUS PUXADES Siculus, Abbas Noharenſis, ex litteris datis Bruxellæ à Philippo II. 22 Decembris 1516. ex Script. Panorm. 24 Aprilis 1417.

FRANCISCUS VENTUS S. T. D. Drepanenſis, Canonicus Mazarienſis, à Ferdinando

dinando Gonzaga Prorege eligitur, ex litteris datis Panormi ultimo Aprilis 1542. Anno 1547, fuit Abbas Sancti Philippi de Grandis.

Jacobus de Arnedo S. T. D. Capellanus Regius, Visitator hâc in re destinatur à Prorege Joanne de Vega, datis Panormi litteris 13 Decembris, anno 1552, id fieri ait ex regio mandato. Arnedus pro bono Juris patronatûs Regis multa edidit decreta, quæ ut executioni darentur, in Agrigentinam Diœcesim transmissus est *Petrus Andreas Verdura*, electus Agrigentinus Archidiaconus ex litteris Proregis datis Panormi 6 Julii, 13 Indict. 1570. uti dicemus in Not. Agrig. Fuerat Jacobus Abbas Sanctæ Mariæ de Bordonaro.

Petrus Buytron & Manriquez S. T. D. Hispanus, Capellanus Major Regius in regno Siciliæ, ac Abbas Sanctæ Mariæ de Roccadia, ex litteris regiis datis in Sancto Laurentio 16 Septembris, 5 Indict. 1576. exscriptis 4 Januarii, & aliis in oppido Lengresan, 24 Aprilis, anno 1580. exscriptis Panormi 18 Junii ejusdem anni, eligitur Visitator in Valle Neti.

Nicolaus Danius Mediolanensis, Regius Capellanus san-

ctæ Mariæ de Terrana Abbas, Comes Palatinus eligitur pro reſtitutione bonorum uſurpatorum ab Eccleſiis juris patronatûs regii in Valle Mazariæ & Demanæ.

Franciscus de Puteo S. T. D. Meſſanenſis, Regius Capellanus, ex litteris Philippi II. datis 24. Aprilis 1580. exſcript. Panormi 18 Junii. Fuerat ante ad id munus Viſitationis Didacus de Arnedo delectus, ſed mox ad Epiſcopatum Hoſcenſem provectus eſt. Noſter verò Franciſcus, anno 1585. fuit Archimandrita Meſſanenſis; 1590. Epiſcopus Agrigentinus. Obiit 7 Martii 1593.

Lupus de Campo, Decanus Tudelenſis, ex litteris Regis Philippi datis 24 Maii 1589.

Philippus Jordi Barcinonensis, Archidiaconus Confluenſis, & Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Elnenſis, ex litteris datis Burgi 22 Junii 1603. exſcriptis Panormi 19 Januarii, anno 1604.

ASCANII COLUMNÆ, *Cardinalis Romani, Judicium eorum quæ Cæsar Cardinalis Baronius de Monarchiâ Siciliæ scripsit.*

OBtulisti mihi, ex Hispaniâ redeunti, undecimum ac postremum Typis impressum Historiarum tuarum Tomum; plurimis rogasti precibus, ut quæ de Siciliæ Monarchiâ scripseras, excuterem attentiùs, & quæ mea de illis sententia, liberè declararem. Statim, ut id aggrederetur, cupidus hinc me meus tibi gratificandi animus impellebat: hinc verò ut ab eo incepto desisterem, suadebat imbecilla totius corporis, præcipuè oculorum valetudo, defatigatio immenso mihi itinere parta, domesticarum & externarum occupationum innumera multitudo. Hoc verò tempore quo diurnis curis vacuus aliquid præstare possem, crurium & brachiorum dolor nocturnâ fluxione ortus, sic me torquet, ut omnium planè mihi, & legendi & scribendi usum adimat. Accessit Marci Antonii Columnensis familiæ Principis, pronepo-

Cet écrit découvre les excès du Cardinal Baronius.

tis mei, diuturnus ac penè mortalis morbus, quò illi gravior & periculosior, eò mihi molestior & ad ferendum durior. Verùm ad hæc studia, dictante naturâ, primâ ab infantiâ conformatus, non committam ut hujusmodi officia desiderare à me quisquam possit, sic velim existimes, mea in hoc genere opera nec tibi defuisse, nec unquam esse in re quâlibet defuturum. Quod enim in ipsâ juventute Carolo Sigonio, Marco Antonio Mureto, Jacobo Cuiacio, adultâ ætate, Francisco Bencio, Justo Lipsio, Ariæ Montano, & Aloysio Legionensi, ac demùm Augustino Valerio & Gabrieli Paleotto, amplissimis Cardinalibus, petentibus impertivi, cur tibi roganti negarem, & eruditione dicendique laude illis quàm simillimo, & virtute præclaro, & mihi eorumdem studiorum usu, atque ejusdem dignitatis splendore conjunctissimo? Itaque dicam quid sentiam ingenuè, pro meâ consuetudine, libenter, pro singulari in te meâ observantiâ: certissimè sperans fore ut quidquid dixerim cum maximo ab amore in te meo proficiscatur, pro tuâ christianâ prudentia, & gratum tibi & ratum putes. Materiam quidem cœpisti rei christianæ perutilem, nobilem & præclaram; sed ut ea pretiosior & jucundior sit, ingenii eruditione,

eloquentiæ tuæ præstantiâ consequêris. In cæteris Historiarum partibus immensis ac planè infinitis, tui nunquam non similis eruditus, gravis & eloquens; in hâc verò tantus es, ut in illis certare cum aliis antiquitatis scriptoribus in hâc te ipsum vincere voluisse videaris. Quodcumque multorum annorum spatio tot ab hinc sæculis gestum est, gestum dico; quodcumque à quovis privato homine scriptum, cogitatum, dictum, tui beneficio in nostram memoriam revocatur, idque abs te miro suo ordine comprehensum, & tanquam in conspectu nostro positum agnoscimus. Utinam quod te eruditio, duro ac nimis acri stilo, ut hæc scriberes impulerat, sive id fuerit tua in Ecclesiæ bonum charitas, sive suprema id tibi imperandi potestas, sive spectatissimus tuæ dignitatis gradus, urbaniùs omnia dicere suasisset: & satis veritati feciſſes, & Ecclesiæ fortasse magis consuluisses, & quæ multi nunc improbant, volentes, nolentesque sibi probata susciperent. Magni sanè refert, quo quidque modo dicatur, & fiat, & ad omnes res non parvum habere momentum, solet ratio quædam & methodus. Ut enim in picturâ certo modo lineamenta ori expressa delectant, iisdemque aliâ ratione depictis, non item eorum qui spectant,

tenentur oculi: & ut in muſicâ, cùm ſua quæque modo vox flexa ſuaviter exprimitur, jucundâ audientium aures harmoniâ complentur; eædem graviter offenduntur, ſi modus ille, aut contentione vocis, aut alteratione mutetur; & motus corporis incompoſitus irridetur, qui moderatione ſibi debitâ temperatus, omnium in ſe ora, oculoſque convertit. Demum, ut ingenium, non quia ipſius motus, ad cogitandum acuti, uberes ad explicandum, ad memoriam firmi, magnum propterea arguitur; ſed ſuavi & modeſtâ eorum quæ invenerit explicatione, & ipſius magnitudo oſtenditur, & ſcientia declaratur: ſic ea quæ dicimus, mirum eſt quantùm dicendi modo commendentur, ut interdum plus in modo, quàm in ipsâ re dictâ, poſitum eſſe videatur. Eòque magis cavendum eſt, cùm duæ occurrunt opiniones ſibi invicem adverſantes, quarum unaquæque ſuis ſe rationibus tueatur, graviſſimorum hominum conſenſu probata, temporis diuturnitate recepta, ac demum tot ſummorum Pontificum permiſſu, regiâ poteſtate vallata; tum enim qui unam probarit, alteri omni verborum aſperitate depoſitâ, veris argumentis & rationibus obſiſtat: ita nec irritantur adverſarii, quin imo accidit interdum, ut comitate

diſſerentis, à ſuæ mentis opinione dimoti, quod illis proponitur, tanquam veriſimilius amplectantur. Nam quemadmodum equi adversùs frænum contumaces, interdum ſeſſore habenas remittente conſiſtunt; ſic quos orationis aſperitas frangere non poteſt, ſæpe clementia inflectit; & qui terrore & ſeveritate domari non poſſunt, indulgentiâ & facilitate miteſcunt. Hinc ſanctiſſimi Patres cum hæreticis congreſſi, id unum propoſitum habebant, ut quæ illi ſummâ petulantiâ ac procacitate verborum diſſidebant, omni ipſi modeſtiâ atque iræ remiſſione improbantes, chriſtianæ fidei veritatem tuerentur. Hoſque, ut idem agamus, etiam atque etiam hortantur. Gregorius quidem Nazianzenus Chriſtianos aſſerit, *nec nimis fervidos, nec nimis ſegnes eſſe debere*; *hac enim*, inquit, *ratione fiet, ut ne ob defectum ſteriles & infrugiferi ſimus, nec ob exceſſum periclitemur.* Æque namque inutiles ſunt iners ac ſupina ſegnities, & imperitus fervor: illa ad bonum minimè accedens, hic autem ulteriùs cadens. At Baſilius: *Servum Domini*, inquit, *non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe erga omnes, aptumque ad docendum, cum modeſtiâ corrigentem eos qui reſiſtunt.* Quod Hilarius egregiè docet, quænam ex illo modo oriantur

incommoda. *Non eſt ambiguum*, inquit, *omnem humani eloquii ſermonem contradictioni obnoxium ſemper fuiſſe, quia diſſentientibus voluntatum motibus, diſſentiens quoque ſenſus animorum.* Quod ſi quâ in re ſervandum eſt, in iis præcipuè ſermonibus, qui maximos in Reges inſtituuntur.

Innumerabilis enim copia ſuppetit eorum, qui ad illos tuendos exquiſitiſſimis rationibus excitentur. Sed quid Sanctos commemoro? ipſi prophani Authores, quibus nondum ullus chriſtianæ veritatis ſplendor illuxerat, hanc modeſtiam in omni ſermone obſervandam eſſe præcipiunt. AUDI TULLIUM: *Sed quoniam*, inquit, *in omni vita rectiſſimè præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios rationi non obtemperantes; ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut quid tale appareat: maximèque curandum eſt, ut eos quibuſcum ſermone conferemus, & vereri, & diligere videamur.* PRESSIUS ET CLARIUS ALIBI: *Omnis igitur*, inquit, *hac in re habenda ratio & diligentia eſt, primùm ut monitio acerbitate, deinde ut objurgatio contumeliâ careat.* DE ORATIONE VERÒ IN JACIENDO RIDICULO, ait: *Parcendum eſſe Dignitatibus.* QUOD SI IN

RIDICULO, QUID IN RE GRAVI? tacitus verò Agricolam cum multis, tum hoc uno maximum virum prædicat, quia esset *cultu modicus, sermone facilis*; idque alibi à quovis summo viro expetit; *sit*, inquit, *comis sermo*: Mitto Salustium, qui malam opinionem mortalium mentibus insidentem radicitùs evelli, *docendo magis*, inquit, *quàm jubendo*; *monendo, quàm minando.*

NAM QUID DE SENECA DICAM? Quò magis severa oratio, eò minùs oratori fatetur fidem haberi, & in dicendo & quavis in re; *amittit*, inquit, *assiduitate severitas authoritatem.* Demum aliis omissis, unam ejusdem Salustii sententiam proferam: *In maxima*, inquit, *dignitate minima licentia, neque studere, neque odisse, sed minimè irasci decet.* Qui apud alios zelus seu iracundia dicitur, in imperio superbia appellatur: quod si cuiquam observandum, nobis certè in hac maxima & ecclesiastica dignitate summè proxima constitutis. Non me fugit interdum sanctos Patres, cum de re fidei ageretur, in Hæreticos acerrimè nullius habita ratione disseruisse, quos & rectè fecisse, & ita facere debuisse fatemur omnes. At hîc nec de fide agitur, nec de bono in Ecclesiam usurpato, sed ex gravissimorum hominum opinione per-

missо. In Regem verò differitur à majoribus sanctissimis & maximè catholicis ortum, religiosissimè educatum, summâ in Deum pietate, singulari morum probitate, egregiâ animi moderatione præditum, obedientiâ verò, & in hanc sanctam Romanam Sedem observantiâ tantâ quantâ in privato homine, in religioso viro, nedum in Principe potentissimo posset optari. Si dices, quænam sunt ista quæ me acriter nimis dixisse putas? Primò quidem paginâ 680. *Sub vocabulo*, inquis, *Monarchiæ, præter Monarcham unum, quod unum caput visibile in Ecclesia est cognitum, aliud in Monarchia Siciliæ obortum, pro monstro & ostento caput Ecclesiæ.* Dura nimis & acerba videntur, ut cujus in una potentia, & maxima in Deum pietate Ecclesia universa innixa tutò conquieverit, is tandem Ecclesiæ monstrum dicatur & ostentum. Nec eorum dissimilia quæ non multò post sequuntur: *Quod nec à Tyrannis ipsis Ecclesiæ Romanæ perduellibus, neque ipsis acerrimis Romanæ Ecclesiæ persecutoribus Monarchiæ nomen usurpatum.* Quò fit ut Rex Hispaniæ Tyrannus, & Ecclesiæ hostibus deterior sit, qui unus eò Regnorum suorum nervos, eò sensus omnes suos, cogitationesque convertit, ut barbaros omnes Christiani nominis

hoſtes opprimeret, cæteros verò Chriſtianos Reges ſuo in officio contineret. Paginâ verò 662. *Abſit longè ut Monarchiæ illius dicatur Urbanus erector, in contumeliam Dei, & opprobrium Apoſtolicæ Sedis.* Nec qui Monarchiam hanc Apoſtolicæ Sedi ſubordinatam tuentur, nec qui de illa ſcripſêre, Deum aut Apoſtolicam Sedem aliquâ vel leviſſimâ contumeliâ afficere voluiſſe putem; nam Rex qui eâ nunc potitur & fruitur, tantùm abeſt ut id aliquando cogitaret, ut omnia ſua regna ruere mallet, quàm aliqua aut Deo, aut huic ſacroſanctæ Sedi, ipſo annuente, inferretur injuriæ nota: Mitto illa paginâ 683. *Iſta ſunt quæ manus audax ad ſacrilegium prompta abſtulit à recitato Papæ diplomate.* Taceo exclamationem pag. 684. *O fraudem ſolemnem Corneliâ Lege plectendam!* Quid tibi Eccleſiaſtico viro Principem corrigenti, cum Corneliâ Lege commune? Hæcne præcepta hiſtoriæ? hæc tibi debitæ ſigna benevolentiæ? hæc ſacroſanctæ Sedis modeſtiam & Eccleſiaſtici Imperii urbanitatem decent? Equidem id omne & ab Hiſtorico, & à viro tui ſimili, qui ad hunc honoris gradum evectus, præ cæteris ſe chriſtianum antiſtitem, pium, religioſum debeat profiteri, quàm maximè alienum puto. Tandem illa pagin.

695. *Admiratione dignum videtur unde emerſerit ut falce apoſtolicâ ſucciſi infelices palmites iidem*, & quæ ſequuntur. Et pag.696. *Imitantur planè atque ſectantur qui iiſdem quibus illi, legibus Siculam revocant atque renovant Monarchiam.* Vide quàm longè abſint ab illorum imitatione, Monarchiam illi Sede Apoſtolicâ obnitente, ſi multorum annorum ac ſæculorum ſpatio, Pontifice permittente, tuentur; illi dum ſe Monarchas crearent, Romanum Pontificem nullius poteſtatis eſſe aſſerebant; at Rex Hiſpaniæ cæterique qui illum Monarcham Siciliæ eſſe prædicant, & Monarchiam à ſummo Pontifice Diplomate acceptam, & ipſum Romanum Pontificem CHRISTI Vicarium, omnium dominum eſſe fatentur, & quavis in re & obſequuntur & parent. Præterea hæc nequidquam Hiſtoriæ proſunt; & vix credi poteſt quantum & cæteri quibus contraria probatur opinio, & regius ipſe animus irritetur. Quæ quidem omnia quicumque perlegerit, aſſeret potiùs in Monarchiam te eſſe & illius aſſeclas acerrimè invectum, quàm hujus rei hiſtoriam ſcribendam ſuſcepiſſe. Forſan reſpondes te non contrà Regem, ſed contra Monarchiam & illius aſſeclas hæc dicere inſtituiſſe, quod in ipſo hiſtoriæ hujus pro-

literis ingreſſu. Verùm quis major aſſecla quàm ipſe REX, QUI NON IGNARUS MONARCHIÆ PERSONAM A MAJORIBUS SUIS HÆREDITARIO JURE ACCEPTAM, TOT PONTIFICUM AUTORITATE PERMISSAM, GRAVISSIMO DOCTISSIMORUM HOMINUM JUDICIO PROBATAM, SUSTINET, TUETUR ET REGIT. Hæc ipſe affero meo ingenio parta, aliorum plurimorum autoritatibus deditâ operâ omiſſis, ne tecum agerem contendendo, ſed potiùs tibi obſequendo id à me ſcriptum agnoſceres; neque enim minora poſſent aut pauciora contra te pari ſtilo atque orationis libertate referri; præſertim cùm me magis deceret plurima & graviſſima quæque in unum congeſta proferre, quibus contra hanc tam uberiorem dicendi licentiam Regem Catholicum pro viribus tuerer, quàm te tam multa contra auguſtiſſimam illius majeſtatem inveniſſe quæ diceres. Ea abs te rogatus, tibi offero, ſperoque fore ut quæ ego amore ac chriſtianâ pietate & legi, & ſcripſi, eadem tu & oblata excipias, & legas excepta.

EDICTUM PHILIPPI III.

HISPANIARUM REGIS, contra Tractatum de Monarchiâ Siciliæ à Cæsare Baronio XI. Annalium Ecclesiasticorum Tomo insertum.

LOCUM TENENS in Regno Siciliæ, illustribus, spectabilibus, magnificis & nobilibus Regni ejus, Magistro Judiciario, Præsidibus, Regiorum Tribunalium, Judicibus Majestatis Regiæ Catholicæ, & Magistris Rationalibus, Thesaurario & Conservatori Regii Patrimonii, Advocatis quoque & Procuratoribus Fiscalibus; cæterisque demum dicti Regni Officialibus majoribus & minoribus, præsentibus & futuris, cui, vel quibus ipsorum Præsentes præsentatæ fuerint, Consiliariis & fidelibus Regiis dilectis, Salutem.

SACRA CATHOLICA REGIA MAJESTAS Regis Domini nostri Diplomatibus suis, quod sequitur decernit.

DOMINUS PHILIPPUS, Dei gratiâ Rex Castiliæ, Legionis, Ara-

goniæ, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Luſitaniæ, &c.

Quoniam nobis innotuit, & conſultationibus noſtrorum Conſiliorum, & prudentum virorum relationibus, qui obſequii exiſtimationis noſtræ, & quietis clientum noſtrorum, ſpeciatim fideliſſimi Regni noſtri Siciliæ indigenarum æmuli ſunt, ad nos perlatum eſt Cæſarem Baronium, olim S. R. E. Cardinalem, in XI. Annalium ſuorum Eccleſiaſticorum Tomo, quos ſcriptos & editos reliquit in vitâ Urbani II. Pontificis anno MXCVII. longâ & prolixâ diſſertatione, verbis & rationibus minùs æquis & modeſtis, ac ipſius poſtularet profeſſio, cùm accuſantis & invehentis potiuſquam hiſtoriam referentis perſonam induat, agreſſum non modò in ſuſpicionem adducere, ſed etiam falſos & injuſtos ac violentos titulos & origines vincere, quarum ope deceſſores noſtri Sereniſſimi Reges Siciliæ ſimul cum dominio Regales & Prærogativas acquiſiverunt, quas hucuſque pacificè tutati ſunt & conſervarunt, & quæ ad noſtra uſque tempora ſine interruptione legitimâ derivatæ ſunt: quia verò non debemus nec poſſumus ſinere ut lectione Relationis adeo temerariæ, cujuſmodi eſt hæc Cardinalis, commoveantur, tur-

bentur, & in nos ſubditorum inſurgant animi, & Regum illorum ac noſtra exiſtimatio & conſcientia ullâ unquam labe aſpergi queat, cùm certum ſit, ut ex ipſius exclamationibus & exagerationibus colligere eſt, privato abreptum fuiſſe affectu, exiguâ cognitione præditum, & ex veritatis hiſtoricæ ignorantiâ minimè condonandâ ſcripſiſſe; cùm id palam notum ſit illos deceſſores noſtros jura illa majeſtatis ſceptri, & hujus Regiæ Coronæ, ſeu attributa propria & prærogativas antehac acquiſiviſſe & obtinuiſſe, ut deinde retinuerunt & conſervarunt cum benedictionis, conceſſionis, permiſſûs taciti & expreſſi ſummorum Pontificum, quantum foret opus, acceſſione, qui hâc ratione juſtæ gratitudinis devincti in aliquam magnorum & eximiorum beneficiorum remunerationem contulêre, quibus Catholici Reges de Dei Eccleſiâ & ſanctâ Sede benè meriti ſunt, quod Regnum hoc in ipſius ſinum & ejus obedientiam revocaverint & coëgerint; poſteaquam multos jam annos arcano Dei permiſſu, in dedecus & ignominiam, non ſine diſcrimine & terrore aliorum Regnorum ac orbis chriſtiani Provinciarum, præcipuè verò Italiæ, quin imò ipſius Urbis in quâ eſt thronus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ,

matris & capitis Eccleſiæ Catholicæ, poteſtati Saracenorum ſubjectum, & Mahometanorum jugo mancipatum fuiſſet; quodque in adeo præclarâ victoriâ ſanguinem ſuum profuderint, atque etiam ingentes opes & regium patrimonium conſumpſerint inſtaurandis & dotandis Eccleſiis & Monaſteriis, quæ cum olim Templa fuiſſent in quibus cultu divino verum Domini noſtri nomen celebrabatur, ubi confeſſio & profeſſio Catholicæ Religionis fiebat, illa Infideles in perfidi Mahometi Meſchitas & Equilia verſa & mutata ſacrilegio deteſtabili contaminaverant. Quæ geſta cùm adeo grata ſanctis Romanis Pontificibus fuerint, necnon aliis quæ non minoris æſtimanda ſunt, cumulata ſint, quibus ſucceſſores primorum illorum Regum, & noſtri progenitores, ac noſmetipſi Sedis Apoſtolicæ autoritatem majeſtatemque tutantes, perſonas & facultates noſtras quibuſcumque hoſtibus quibus eam minuere aut evertere fuit animus, objiciendo, benè mereri de illâ Sede perreximus; ita ut Dei beneficio floruerit, & etiamnum puriùs & catholicè magis in Siciliæ Regno, quàm in cæteris orbis chriſtiani partibus vigeat: inde colligere licebit non injuſta aut vitioſa, ſed contrà juſtiſſima & illuſtriſſima principia fuiſſe,

quæ titulum poſſeſſioni vindicarunt, quâ per tot ſæcula ſupradicti Reges ex harum Regalium & Prærogativarum jure potiti ſunt, & quâ cum noſtræ conſcientiæ, famæ chriſtianæ, & ad ſanctam Sedem Apoſtolicam obſervantiæ fiduciâ frui potuimus, & potiri perpetuò poſſumus. Quocirca opportuno præcavere volentes remedio, quo periculum id arceatur, quod tandem nobis tolerant bus aut diſſimulantibus, libri illius conceſſa lectio & relatio pareret ; ac officio ſatisfacere cupientes, quo jura legitima & juſta in quæ ſimul cum regnis & ditionibus, quas Domino noſtro nobis viſum eſt committere, ſucceſſimus, tueri tenemur ; anſam quâ per has ipſo etiam malevolorum & noſtræ felicitatis æmulorum judicio, calumnias Majeſtati & Coronæ noſtræ nota inuratur manifeſto cum ſcandalo, quod & in noſtro Siciliæ Regno, vel aliis accidere poſſet, præbere nolentes : Cauſâ communicatâ, & in Conſiſtoriis noſtris in deliberationem vocatâ; decernere, mandare & jubere hoc Edicto & pragmaticâ ſanctione conſtituimus: Ne cui cujuſcunque ſit ille dignitatis, ſortis & conditionis, quovis inſignitæ privilegio, dictum XI. Tomum adſcripto Autoris, vel alterius cujuſpiam nomine excuſum vel

manuſcriptum, quocumque extet idiomate, cum Diſſertatione illa adversùs dictam Monarchiam, quæ à verſu incipit: *Hîc Autor aggreditur*, & deſinit, *Jam verò canentes receptui, quæ poſt Urbani Papæ datum Diploma Salerni ſunt ſecuta, narremus*: Sine examinis & caſtigationis à delegatis factæ teſtimonio, exponere, habere, vendere, & in regnis & ditionibus emptitare liceat. Mulcta primo delinquenti quingentorum aureorũ in regno & ditione in quâ id accidet, uſitatorum irrogata, qui regio noſtro Fiſco, Judici & Delatori ad trientem addicantur. Iterum delinquenti eadem mulcta pecuniaria irrogabitur, & quinquennale à Regno exilium, quo non ſervato duplum nobilis pendet, ignobilis ad Remigia damnatus addicetur; quod ad eos etiam pertinet qui nunc eum librum habent, niſi delegatis ad hanc caſtigationem intra decimum quintum ab hujus Edicti promulgatione diem revelaverint & tradiderint. Quod ut ſigillatim debitâ cum obſervantiâ executioni demandetur, diplomata & mandata noſtra ad omnes Senatus & Conſiſtoria prope nos reſidentia perferri jubemus, ut cæteris in regnis ac ditionibus obſerventur, & effectum ſortiantur. Præterea jubemus Proregibus, Præfectis, Legatis, Strategis,

Conſiſtoriis, Senatibus, Cancellariis, Audientiis, Tribunalibus, Judicibus, Judiciis, eorumque Officialibus majoribus & minoribus, præſentibus & futuris, & ipſorum ſingulis, ut in Provinciâ & Juriſdictione ſuâ inviolatè quod regio noſtro Edicto præſcribitur, executioni demandari curent. Datum S. Laurent. 3 Octobris MDCX. *Ego Rex.*

R. vidit, Lanz. R. vidit, Quintana Duegna. R. vidit, Caymus. R. vidit, Marcus Antonius de Ponte. R. Dominus Rex mandavit mihi Laurentio de Aguirre Panormi. Die 16 Decembris, IX. Indict. 1610, præſentata illuſtriſſimo Domino Locum tenênti Generali, & mandat quod ſpectabilis Regius Conſiliarius Conſervator regii patrimonii recognoſcat & referat. Vincentius Lanfruccus M.N. Eadem facta recognitione & relatione prædicta, Sua Illuſtriſſima Dominatio mandavit quod fiant executoriæ. Joannes de Vegha Conſervator.

Quare S. M. præſcriptum executioni mandantes, & impoſitis mandatis obſequentes, injungimus ut præinſerta Diplomata & Edictum juxta ejus ſeriem & normam executioni, per eos quorum exequendi & obſervandi ſunt partes, demandari curetis; ſi regiæ gratiæ ulla eſt æſtimatio, contraïre caventes.

Datum Panormi die 17 Septembris, IX. Indict. MDCX.

CARDINALIS JANNETINUS DORIA.

Dominus locum tenens Generalis mandavit mihi VINCENTIO LANFRUCO *M. N. Visa per Joan. de Vegha Conservatorem.*

JOAN. DE VEGHA C.

Imprimatur de R. A. O. P.

COPIA DELL' ATTO d'Appellatione, é proteſta del Reggio Procuratore Fiſcale del Regno de Sicilia.

IL Reggio Procuratore Fiſcale del Regno di Sicilia; cui ſpetta invigilare per la difeſa delli Privileggi, Regalie, dritti, é conſuetudini antiquate del Ré, è del Regno, havendo havuta Notitia, che nella Citta di Roma ſotto li 20. februario del corrente anno 1715. ſi publico una preteſa Bolla del ſummo Pontifice Clemente XI. Con cui ſi pretende divenire all'abolitione della Legatia della Monarchia di queſto Regno nel termine di due meſi, ed un Breve che donna il ſiſtema alle cauſe eccleſiaſtiche della Le-

gatia é conſiderando che dette aſſerte Bolla é Breve furono emanati, ſenza cittazione ed audienza, ed in oltre che ſono orrettize é vengono á levar al re é dal Regno una prerogativa, & giuriſdizione poſſeduta, ed eſercitata per tempo immemorabile âi tanti ſocoli, paſſata in legitima conſuetudine, ed approvata non ſolo con la fama di antichiſſimo Privileggio, mà anche confirmata colla Bolla del Pontefice Urbano II. é colli concordati, coſi col Pontefice Adriano IV. Come nel tempo del ſancto Pontefice Pio V. é con piú altri ſuſſecuti, ſi eſpreſſi che taciti d'alli Pontefici ſucceſſori ſino al regnante Pontefice Clemente XI. nel 1715. ratificati, ed oſſervati per lo ſpatio di ſei ſecoli é non mai vulnerati per eſſere ſtati conceſſi per coſa oneroſa (paſſata in forza di contratto) alla glorioſa memoria di quel grand heroe il Conte Rogerio Normando Conquiſitatore di queſto Regno di Sicilia da potere dell' infideli, é fondatore di tante belle Baſiliche, veſcovati, ed Abbatie, con haverte dottate della terza parte d'eſſo, é che con tale oſſervanza é poſſeſſione ſi é ſempre continuato, iendoli ſuoi popoligia connaturalizati á queſta forma di vivere, ſa maniera che condetti aſſeſti, Bolla é Breve vengono ad inferirſi graviſſimi pregiudicii alla Real Corona, ed à Regnicoli; é perche

la detta asserta Bolla, ed in consequenza datto asserto Breve, Come orretisi é surretizi contengono in se ingiustitia, privandosi il privileggiato delle referite prerogative, é giuriditione gadute per lo corso di anti secoli; motivo per id quale crede esso Reggio Procuratore Fiscale, che la mente del sommo Pontefice non sii stata bene informata é che se fosse data, non haverebbe divenuta ad una tal risolutione coll' abolitione d'un dritto, é consuetudine immemorabile comprovata colli connati privileggii, é concordati gia inviscerati, ne i Regnicoli.

Per lo tanto esso Reggio Procuratore Fiscale, Come quello á cui carico corre invigilare alla difesa delle Regalie, dritti, consuetudini é privileggii d'ella Corona, é del Regno ed al Rifl sso che variandosi il costume antiquato disturbarebbe la publica quiete, produrebbe molli sconcerti hà giudicato in vigor del presente atto con tutti li rispetti douti alla santa Sede & al summo Pontefice (di cui li popoli di questo fidelissimo Regno sono ub bientissimi filii) fare la presente supplica & appellatione del sommo Pontefice male informato, allo stesso sommo Pontefice meglio informando, seu alla santa Sede Apostolica, seu á chi, ed á quali si possono fare li legitimi Ricorsi ed appellatione, secondo la dispositione delli sacri Canoni per la re-

vocazione d'elli riferiti due asserti Bolla é Breve per riceverne la giustizia.

Eper che secondo la disposizione delle legi pendente l'appellatione non si dive innovar Cosa alcuna per ciò stante la presente supplica é appellatione sintenda ipso jure sospesa l'esecutione di detti asserti Bolla é Breve, protestandosi esso Reggio Procuratore Fiscale nel Caso contrario di tutte le Cose lecite é permisse á pro estar si secundo la dispositione del dritto naturale, canonico é civile, implorans, &c. Salvo jure, *&c. cum potestate, &c. unde* per futura testimonianza *per passare alla notitia di tutti li Prelati Secolari, é Regolari, ed altri Ecclesiastici é popoli di questo Regno & d'ogni altro dove tova si é fatto il presente atto in Palermo oggi li 20 Marzo 1715.*

Die 20 Martis 1715 fuit & est redactus in Actis magnæ Curiæ Regiæ præsens Actus supplicationis, appellationis, & protestationis.

D. Salvator Bisso pro Mai Not.

TRADUCTION de la Copie de l'Acte d'appel & Proteſtation du Procureur Fiſcal Royal du Royaume de Sicile.

LE Procureur Fiſcal Royal du Royaume de Sicile, qui doit veiller à la défenſe des Privileges, Régales, Droits & anciennes Coûtumes du Roi & du Roiaume, ayant eu la connoiſſance qu'on a publié dans la Ville de Rome le vingtiéme Février de l'année courante 1715. une prétendue Bulle du Souverain Pontife Clement XI. par laquelle on prétend abolir la Légation de la Monarchie de ce Royaume dans deux mois, & un Bref qui établit l'ordre des Cauſes Eccleſiaſtiques; & conſiderant que leſdites Bulles & Bref ſont émanez ſans citation, ſans parties entendues, & en outre qu'elles ſont obreptices & ſubreptices, & qu'elles ôteroient au Roi & au Roiaume une Prérogative & une Juriſdiction qui a été poſſedée & exercée d'un temps immémorial de pluſieurs ſiecles, paſſée en coûtume legitime, & approuvée non ſeulement par un tres-ancien Privilege, mais encore confirmée par la Bulle d'Urbain II. & par les Concordats avec les

ſouverains Pontifes Adrien IV. & Pie V
& par pluſieurs Actes ſubſequens, ſc
exprès, ſoit tacites, des ſouverains Pon
tifes leurs ſucceſſeurs juſqu'au Pontific
de Clement XI. en 1715. ratifié & ob
ſervé pendant ſix ſiecles, & auquel o
n'a jamais touché, parce qu'il a été a
cordé à titre onereux, & qu'il a paſſé
forme de contrat en la memoire gl
rieuſe du grand Heros le Comte Rog
Normand, qui a conquis ce Royaun
de Sicile, & l'a délivré de la dominatio
des Infideles, & fondé tant de bell
Egliſes, Evêchés & Abbayes qu'il a d
tés de la troiſieme partie du revenu
ce Royaume; & parceque cet uſage,
cette poſſeſſion y ont toujours été con
nués, & que les peuples ſont faits & co
me naturaliſés à cette maniere de vivr
en telle ſorte que leſdites Bulle & Br
porteroient de grands préjudices à
Couronne Royale & aux Regnicoles;
parce que ladite Bulle & Bref qui a é
donnée enſuite comme obreptice & ſu
reptice, contient une injuſtice manif
ſte, & prive les Rois de Sicile des Priv
leges de ladite Prérogative & Juriſd
ction qu'ils ont eue pendant tant de ſi
cles: Par ces raiſons le Procureur Fiſc
Royal perſuadé que le ſouverain Pont
n'a pas été bien informé, & que s'il l'

voit été, il n'auroit jamais pris la réſolution d'abolir un droit & une coûtume immémoriale, approuvée par des Privileges bien établis, & par des Concordats ſi anciens & ſi bien authoriſés.

A ces fins ledit Procureur Fiſcal Royal, qui doit avoir ſoin de veiller à la défenſe des Régales, Droits, Coûtumes & Privileges de la Couronne & du Royaume, ayant conſideré que le changement de cette Coûtume ancienne troubleroit le repos public, & produiroit de grands deſordres, a jugé avec tout le reſpect dû au ſaint Siege & au ſouverain Pontife, dont les Peuples de ce Royaume ſont des fils tres-fideles & obéiſſans, de faire par le préſent Acte une remontrance & une appellation du ſouverain Pontife mal informé, au même Pontife mieux informé; & ſi beſoin eſt, au ſaint Siege Apoſtolique, ou à ceux à qui on peut legitimement recourir, & appeller ſuivant la diſpoſition des ſaints Canons pour la révocation des ſuſdites Bulle & Bref, afin de ſe faire rendre juſtice; & parceque ſelon la diſpoſition des Loix, on ne doit rien innover pendant l'appellation.

La préſente Remontrance & Appellation ſubſiſtant, l'execution deſdites Bulle & Bref eſt ſuſpendue de droit; requiert auſd urplus ledit Procureur

Fiſcal Royal de tout ce qui ſe feroit au contraire, & de ſe pourvoir par toutes les voies licites & permiſes, ſuivant la diſpoſition du Droit Naturel, Canonique & Civil. Implorant, &c. *Salvo Jure &c.* cum *poteſtate, &c.* & pour en avoir un témoignage, & que ſa Proteſtation & Appellation ſoient connues de tous les Prélats, Seculiers & Reguliers, & autres Eccleſiaſtiques, & des Peuples de ce Royaume, & de tous autres à qui il appartiendra. Le préſent Acte a été fait à Palerme le 20 Mars 1715.

Le préſent Acte de Remontrance d'Appellation & Proteſtation, a été enregiſtré dans les Actes de la grande Cour Royale.

D. Salvator Biſſo, pro Mai. Not.